



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Liber I. De Principiis Rerum Naturalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

PARS I.
TRACTANS LIBROS AUSCULTATORIOS.
LIBER I.
De Principiis Rerum Naturalium.

PROOEMIUM.



Quanta fuerit inter antiquos Philosophos disceptatio & altercatio, de rerum corporearum principio, recensent Authores passim, & elegantissimè describit Sanctus Augustinus lib. 8. de Civitate cap. 2. ubi sic loquitur, de eorum erroribus, & opinionibus: *Thales Milesius Aquam putavit esse rerum principium, & hinc omnia elementa mundi, ipsumque mundum, & quae in eo gignuntur, existere. Huic succedit Anaximander ejus auditor, mutavitque de rerum natura opinionem, non enim ex una re, sicut Thales ex humore, sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putavit. Quae rerum principia singularum credidit esse infinita, & innumerabiles mundos gignere, & quaecunque in eis oriuntur, eosque mundos modo dissolvi, modò iterum gigni existimavit, quanta quisque sua aetate manere potuerit. Iste Anaximenes discipulum & Successorem reliquit, qui omnes rerum causas infinito aëri dedit. Anaxagoras verò ejus Auditor, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum Animum sensit, & dixit ex infinita materia, quae consistat ex similibus inter se particulis, rerum omnium genera, pro modulis & speciebus propriis singula fieri. Diogenes quoque Anaximenes auditor, aërem quidem dixit rerum esse materiam, ex qua fierent omnia. Anaxagoras successit Archilaus, etiam ipse de particulis inter se similibus, quibus singula quaeque fierent, ita omnia consistare putavit, ut inesse etiam mentem diceret, quae corpora aeterna, id est, illas particulas conjungendo, & dissipando ageret omnia: & cap. 5. his similia & plura alia refert Antiquorum deliria, quae post Aristotelem, veluti talia, simpliciter ab omnibus exploduntur, & assignantur communiter tria, materia videlicet & forma, cum privatione, de quibus in communi, in proxima agam disputatione, unde est*

DISPU.

DISPUTATIO I.

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS IN COMMUNI.

QUÆSTIO I.

Num detur principium Rei Naturalis?

Quamvis in omni bona Philosophia sit indubitatum, dari principia naturalium rerum, contra Antiquorum plurimum errores, id tamen ex professo etiam hic examinare non videtur mihi fore superfluum, & inane; unde anrequam resolvam quæstionem

Notandum primò: Principium

variè, & multipliciter sumi posse: Primò enim accipitur, pro initio cujuscunq; rei, unde etiam D. Augustinus lib. 1. de Gen. ad lib. cap. 4. illud Genes. Primo in Principio, dicit Exordium omnis creature existentis, tale autem initium tripliciter iterum considerari potest, secundum durationem, ordinem, & situm; *Primo modo dicitur aurora initium diei, Alpha initium literarum;* secundum Ordinem, palmus dicitur principium & initium ulnæ, & punctum lineæ, tertio denique modo dicitur fundamentum initium domus &c.

Secundo modo sumitur principium,

pro omni eo, unde aliquid fit, sive illud sit intrinsecum, sive extrinsecum, in quo sensu dicitur Augustinus lib. 8. Civit. cap. 6. In Deo esse omnium rerum principium: & cap. 5. Gen. sup. Eterna sapientia principium creature intellectuales, & cap. 6. Filium Dei principium universe creature, id est, per quem facta sunt omnia, & in hac acceptione principium coincidit cum causa efficiente, quæ dicitur principium extrinsecum, magna tamen differentia, & diversitas est, inter causam & principium; nam causa debet semper communicare effectui essentiam, saltem numero distinctam; deinde effectus debet à causa dependere, postmodum causa, debet saltem naturâ prior esse quàm effectus, quibus tamen deficientibus adhuc potest aliquid habere rationem principii, ut patet de Patre æterno, respectu Filii, cujus est principium, non tamen causa; quare si quando Sancti Patres, sive Græci, sive Latini, dicunt: Patrem esse causam Filii, aut aliquid simile in Divinis, intelligendi & explicandi sunt, quòd loquantur de causâ in largiori acceptione, prout etiam coincidit cum principio, quia omnis causa est principium, non tamen omne principium est causa.

Tertio modo principium propriè sumitur pro eo, à quo aliquid per se & Physicè oritur, seu ex quo aliquod compositum Physicum resultat, & in hac acceptione de illis controvertitur, num dentur.

Notandum secundò: Principium etiam in rigore acceptum, dupliciter considerari posse, *materialiter* scilicet, & *formaliter*; formaliter sumptum est relatio principii, vel principiantis ad principiatum, cujus fundamentum est principium materialiter, seu de-

nomiatiuè sumptum, terminus verò est ipsum principiatum, ratio verò fundandi origo unius ab alio, & hæc relatio non potest univoca esse omnibus principii, nisi concederetur univocatio, respectu realis & rationis, quia relatio principiantis in materia & forma est realis, utpote inter extrema realia, non verò in privatione, imò licet principii ratio denominatiuè sumatur, adhuc non potest esse univoca, quia ens & non ens, nequeunt eandem habere naturam, sed forma & materia sunt vera entia realia & positiva, non verò privatio: ergò ratio illorum non potest esse eis univoca. His prænotatis

Dico ad quæstionem: *Dantur aliquarum naturalium principia.* Est communis omnium Theologorum & Philosophorum, seu Catholicorum, seu hæreticorum. Probatur experientia, quæ docet, dari aliquas mutationes, sed istæ non possunt fieri, nisi ab aliquibus principii; ergò dantur illa principia, à quibus fiant; major patet, quia duplex genus mutationum reperitur, primum est, cum aliqua res secundum essentiam & existentiam manens eadem, mutatur accidentaliter; ut quando aqua transit à frigore ad calorem, secundum genus est, quando res præexistens intrinsecè & essentialiter mutatur, transitq; de suo esse substantiali, in aliud, verbi gratia, quando ex igno fit ignis, ex quibus duabus mutationibus ad minus duplex colligitur principium, scilicet illud, quod transit, ab una forma ad aliam, & est materia, vel subiectum, & illud, quod de novo transit, & est forma acquisita, per mutationem, vel generationem, deinde caret materia aliquando illâ formâ; ergò datur adhuc aliquod aliud, & consequenter dicendum; dari rerum naturalium principia. Sed in contra

Arguitur. Si darentur naturalium principia, deberent in omnibus rebus naturalibus reperiri, sed hæc non reperiuntur in omnibus rebus naturalibus, ergò: probatur mi. Quia non reperiuntur in cælis, ergò: probatur anti- quia Cælum fuit creatum, ut patet ex illo Gen. 1. In Principio creavit Deus cælum & terram; ergò cæli non habent principia; quia illa deberent esse materia & forma, quæ in cælis reperiuntur; probatur consequentia, quia creatio est productio rei ex nihilo. R. negando mi. cum ant. prob. cujus probationis ant. distinguo: Cælum fuit creatum creatione propriè dictâ, nego ant. creatione latè dictâ, & improprie acceptâ, concedo ant. & nego consequentiam, pro cujus distinctionis clariori intelligentia, sciendum: creationem duplicem esse, unam strictè sumptam, & alteram largè acceptam, primâ dicuntur creari Angelus, anima rationalis, & cætera entia spiritualia: & in hac acceptione dicitur productio, ex nihilo sui, & subiecti; secundo modo accipitur, pro productione Divina cujuscunq; creature, à quâ etiam creatura suam habet etymologiam. Sed

Institatur.

IV.

Dantur rerum principia.

V.

Argumentum in contrarium.

Instatur. Nullum datur ens prius creatum, quam cœlum; ergo cœlum non constat ex principiis: patet ant. ex loco citato, quia prima creatura fuerunt cœlum & terra. R. dist. ant. Nullum datur ens creatum, prius cœlo completum, concedo; incompletum, nego ant. & consequentiam, quia licet materia præfuerit ante cœlos, nihilominus in entitate sua non est quid Physicè completum, licet sit Metaphysicè.

Urgetur. Sequeretur quod illud ens, seu materia fuerit creata ante cœlum, sed hoc videtur directe pugnare contra Scripturam allegatam, ergo. R. dist. sequelam, quod fuerit prius creata ante cœlum, prioritate naturæ, concedo, prioritate temporis, nego seq. cum mi. & consequentia: quia tantum Scriptura docet, nihil in tempore prius fuisse creatum, quam cœlum & terra, quamvis per hoc non negat, quin aliquid etiam fuerit prius creatum prioritate naturæ.

QUÆSTIO II.

Quid sit principium Corporis Naturalis?

I.
Aristoteles
de finit. prin-
cipium.

Aristoteles 5. Metaph. cap. 1. definit principium, quod sit *primum id, unde aliquid est, sit, aut cognoscitur.* Quæ definitio, quamvis explicari possit, tanquam bona, verum tamen nimis universalis est, quia comprehendit nimis multa principia, quæ ad Physicam non pertinent: nam per particulam *est* comprehendit genus principiorum secundum compositionem, per particulam *sit*, genus secundum generationem, & per tertiam *cognoscitur* scilicet, genus principiorum scientificorum, in qualibet scientia, ita ut sic etiam præmissa, & Deus, respectu creaturarum, comprehendatur, & omnia alia, siue sint extrinseca, siue intrinseca. Quam nec ipse Aristoteles approbat, utpote cum hic cap. 8. 1. 42. aliam tradat, nempe, quod prima principia sint ea, quæ *neg. ex se invicem, neg. ex alio, sed ex ipsis sunt omnia.* Quam definitionem defendit cum communi, Baro tanquam bonam, eam tamen dicit non esse Aristotelis, verum communis Scotistarum & Recentiorum omnium, tueretur & esse Aristotelis, & esse bonam, contra quem torrentem non videtur mihi conandum; quare

II.
Definitio illa
bona est.

DICO. Prædictam definitionem Aristotelis bonam esse. Hæc Conclusio communis est, & duplicem habet partem, videlicet & quod Aristotelis sit, & quod bona sit.

Prima pars est probanda solummodo ex unanimi consensu, quem nec ipse Baro negare potest, qui citat Apol. 1. in 1. Phys. act. 1. Aristotelem, secundum textum, his formalibus terminis: *Oportet enim principia, neg. ex alterutro esse (id est ex se invicem) neg. ex alio, sed ex his omnia, quem textum concedit Baro, esse Aristotelis;* ergo concedit, definitionem datam esse ejus; cum in terminis quodammodo definitio coincidat.

Probatur secunda pars, eam explicando dicitur: *Quæ neg. ex se invicem;* quia secundum Aristotelem, principia prima sunt

contraria, sed illa quæ sunt primò contraria, non possunt ex se invicem fieri; ergo neq; principia sunt ex se invicem: dicitur *neg. ex alio:* quia si prima principia essent ex aliis, tunc non essent principia prima, sed secunda, & principia: dicitur deniq;: *sed ex ipsis sunt omnia;* quia principia debent esse ex aliis, non ex se; ergo ex principiis & consequenter ex principiis omnia fiunt, id est, vel tanquam ex parte componente, vel tanquam ex termino à quo; unde tota definitio hunc habet sensum: Quod principia non fiunt ex aliis eo genere, quo est principium, verbi gratia, ut materia non fiat ex forma, tanquam ex causa materiali, neq; forma ex materia, tanquam ex causa formali, in quo genere est principium, deinde quod non fiunt ex aliis, id est quod materia non fiat ex materia & forma non fiat ex forma, sed omnia fiunt ex ipsis, scilicet, quod omnia composita consentent ex principiis, secundum distributionem accommodam, ita ut tota collectio compositorum, fiat ex tota collectione principiorum, & hoc numero compositum ex his numero principiis; quia ex quolibet principio non potest fieri quodlibet compositum. Sed in contra primam partem definitionis

Arguitur: Materia & forma, secundum nos, sunt principia, sed illa fiunt ex se invicem, ergo probatur mi. quia materia fit ex partibus integralibus, à quibus dependens in genere cause materialis; ergo fit ex aliis. R. dist. mi. fiunt ex se invicem eodem modo, & eodem genere principiandi, quo alia fiunt ex ipsis: nego mi. alio modo, & alio genere principiandi, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; licet materia componatur, & fiat ex partibus integralibus, non fit tamen ex ipsis per modum subjecti, quo modo est principium omnium mutationum, nec dependet ab eis in genere cause materialis principii; quia materia est pars essentialis, & non integralis compositorum.

Instatur. Materia fit ex alio, etiam eodem genere principiandi, secundum essentialem compositionem; ergo nulla solutio: probatur ant. quia materia fit, & essentialiter componitur ex genere & differentia, sed hæc faciunt essentialem compositionem; ergo materia fit ex aliis, etiam secundum essentialem compositionem, & idem dicendum de forma. R. negando ant. cujus probationis min. distinguo, sed hæc faciunt essentialem compositionem Metaphysicam, concedo: Physicam, nego minorem, & consequentiam. Itaq; hic non est sermo de quacunq; essentiali compositione, sed de essentiali compositione Physica.

Urgetur. In animatis corpus, prout est altera pars compositi, est pars materialis viventis; sed illa pars materialis, fit ex alia materia in genere cause materialis; ergo principia fiunt ex se invicem in eodem genere cause, & secundum compositionem Physicam, & non tantum Metaphysicam. R. facile ad hanc resolutionem, quæ tamen videtur in se difficilis, distinguendo consequens; ergo principia fiunt ex se invicem prima, nego consequentiam, secunda & principia, concedo consequentiam. Itaq; verum quidem est, quod definitio principii

ipsum non competat corpori, prout est altera pars viventis, hoc tamen nihil nocet: quia non est principium primum, sed secundum, immediatum scilicet subiectum Animæ, tanquam formæ substantialis. Sed

Replicatur. Ergò falsò dicitur, quòd, in omni generatione, hæc tria principia concurrant. R. negando illatum, quia semper illa tria principia concurrunt, mediate, vel immediate, non est autem necesse, quòd semper concurrant immediate.

IV. **Arguitur 2.** Pro eodem, Forma fit ex privatione; ergò principia fiunt ex se mutuo. R. dist. ant. fit ex privatione, tanquam ex termino à quo, concedo ant. tanquam ex parte essentiali, nego ant. unde non negatur, quòd fiant ex aliis quocunq; modo, sed quòd non fiant in eodem genere & tanquam ex parte essentiali & Physicè constitutive.

Instatur 2. Tò ex, aut denotat habitudinem partis componentis essentialitèr & Physicè, aut termini à quo: si partis componentis; ergò privatio non est principium; si habitudinem termini à quo; ergò forma non erit principium, quia fit ex privatione, tanquam ex termino à quo. R. quòd illa particula ex in definitione principiorum dupliciter possit intelligi; primò, ut in duobus primis locis negativis significet habitudinem partis componentis, & non termini à quo: in tertio verò loco affirmativo significet habitudinem utriusq; sed sub disjunctione; vel secundò, quòd in duobus primis locis significet habitudinem ejusdem generis, in tertio verò loco habitudinem diversi generis, id est, partis componentis, vel termini à quo, ita ut sensus sit: quòd principia neque ex sese, neq; ex aliis in eodem genere, sed omnia ex ipsis fiant, vel tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam termino à quo, unde licet forma non sit terminus à quo privationis, est tamen adhuc principium, quia est altera pars compositi.

Urgetur. Si Forma fit ex materia, non ut à termino à quo, sed ut parte componente, sequetur adhuc, quòd non erit principium, ergò: probatur sequela, quia proprie fit ex alio, aut dicendum quòd unum principium fiat ex alio. R. dist. sequelam, si forma fit ex materia, tanquam componente formam, veluti ejus pars essentialis, concedo sequelam, si fit ex materia, id est, si educitur de potentia materiæ, tanquam ex subiecto materiali, nego sequelam, unde non dicitur proprie & in rigore loquendo, formam fieri ex materia, sed educi de potentia materiæ. Sed

IV. **Arguitur 3.** In data definitione, aut definiuntur principia universalis rerum, aut particularia, verbi gratiæ Petri, vel Pauli, sed neutrum dici potest, ergò mala definitio, mala est certa: probatur minor, & primò quòd non particularia, quia omne quòd defini debet & potest, debet esse ens unum completum per se genericum, vel specificum, quia quemadmodum singularium non est scientia, ita nec definitio: Nec etiam universalis, quia omnis definitio

F. Amandi Hermann Physica.

universalis debet posse competere suis inferioribus, ut de se patet; sed definitio illa non potest competere singularibus, nec quidem secundario, ergò: probatur mi. quia ex principiis particularibus non sunt omnia: R. quòd hic definiuntur primò & per se, principia universalis; particularia verò secundario; unde nego mi. probationis, de universalibus, ad cuius probationem dico, quòd particula illa: *Omnia ex ipsis sunt*, accipi debeant distributive, tam ex parte principiorum, quam ex parte principiatorum, ita, ut sensus sit: quòd omnia, id est, singula ex ipsis, id est, singulis, fiant. Possunt hic plures adhuc moveri difficultates, tum propter particulam *Ex*, quæ in sacra Scriptura frequenter significat non modò partem componentem alicujus rei, sed etiam causam efficientem: ut patet ex illo Joan. 8. *Qui ex Deo est verba Dei audit*, & alibi sæpe; verumtamen in his & similibus locutionibus Scripturæ termini non accipiuntur, in omni rigore, unde licet in communi significant etiam causam efficientem, proprie tamen significant solum principia intrinseca, quòd autem sacra Scriptura non accipiat terminos semper in rigore, patet ex pluribus locis: adduco tamen unum Matth. 18. ubi dicit: *Si duo, vel tres congregati fuerint, in nomine meo, in medio eorum sum*: in quo loco *vel* non significat in rigore, quin verificetur: licet utrumque disjunctum existat, quòd tamen alioquin requiritur.

QUÆSTIO III.

Quos sint principia corporis Naturalis?

Ex prioribus liquet, quanta olim fuerit diversitas, in assignandis principiis, eorumq; numero, quæ tamen pro nunc tota sopita est; quia communis sententia tria prima recipit principia, & non plura, nec pauciora, pro quo explicando & resolvendo.

Notandum primò. Res naturales, I.

seu corpus naturale, dupliciter sumi posse, primò *in fieri*, secundò *in facto esse*. quando ergò sermo est de principiis *in fieri*, tunc idem est, ac esse adhuc intra rerum generationem & productionem, & quando sermo est, de principiis, *in facto esse*, tunc idem intelligitur, quòd jam sit producta, constituta & extra suas causas posita, & secundum hanc duplicem acceptionem principiorum dupliciter est quoq; necesse resolvere questionem.

Notandum secundò. Quòd hic III. non sit sermo de corpore, & re naturali, prout opponitur libero, in quosensu dicitur communiter, quòd aliæ sint causæ naturales (alio modo vocantur necessariæ) aliæ liberæ: nec prout opponitur violento, nec prout opponitur supernaturali, quæ talibus præcisè, sed pro eo, quòd constat intrinsecè ex naturis, materia scilicet & forma, id est, pro composito aliquo Physico, quamvis tale compositum etiam opponatur supernaturali, saltem quantum ad essentiam, His prænotatis

Dico I. Principia generationis seu rei naturalis in fieri sunt tria, materia scilicet, forma, & privatio, IV. Rerum inferiorum principia sunt tria.

Uu

vatio, nec plura, nec pauciora. Ita cum Philosopho hic cap. 7. Scotus q. 19. & communis. Probatur: Illa sunt principia generationis, seu rei naturalis in fieri, sine quibus explicari vel defini non potest generatio, sed sine illis tribus intelligi non potest, nec fieri generatio, ergo: minor, in qua est difficultas, probatur; quia Generatio in re, nihil est aliud, quam transitus, à non esse formæ substantialis vel compositi, ad esse ejusdem, id, & dependentè à materia, sed in hac descriptione ista tria reperuntur, & requiruntur, ut de se patet, ergo: probatur, quia in primis requiritur id, quod transit, & est materia, vel subiectum; secundo id, à quo transit & est privatio, & ad quid transit, & est forma, ergo. Confirmatur, tum quia his solis competit definitio principiorum supra assignata, & non est assignabile, cui non competeret ant. cui præter ipsa competeret: tum, quia etiam non modo substantiali mutationi convenit, sed etiam accidentali: nam in ea subiectum, quod se habet per modum materiæ, transit ad formam à privatione ejusdem, veluti à termino à quo, ergo. Sed in contra

V.
Opponitur &
soluitur
Aristoteles.

Opponitur Autoritas Aristotelis hic cap. 6. dicentis: *Privationem esse principium ex accidente*; ergo ex mente Aristotelis, privatio non est principium per se rei naturalis in fieri. R. negando consequentiam, quia Aristoteles tantum vult, quod privatio non sit principium essentialitèr ingrediens constitutionem & compositionem alicujus rei naturalis in factò esse, quia res manet eadem in essentia, sive in ejus productione positivè præcesserit privatio, sive non; unde bene dici potest, quod sit per accidens, quamvis non sit tale, in quantum per mutationem aliquid accipit esse.

Instatur. Privatio, nec potest esse principium in fieri; ergo nulla solutio: probatur ant. ex illo vulgato: *Principium debet esse quando principiat*, sed privatio nec est, nec esse potest, quando ponitur principiatum, quia alioquin esset simul cum eo, cujus erat privatio, ergo. R. negando ant. cujus axiomatis probationem dist. Principium debet esse, quando principiat, si principiet per modum partis componentis, & essentialitèr constituentis compositum Physicum, concedo ma. si solum principiet per modum termini à quo, sit recessus, quando producit compositum, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam. Itaq; conceptus principii, per modum termini à quo, seu à quo receditur, non est, ut sit quando principiatum est, sed potius ut non sit, quòd tamen fuerit, quare illud dictum tantum verum est de principio intrinseco aliquid constituyente, & de extrinseco aliquid Physice producente, quod nihil efficere potest, nisi existat.

Urgetur. Principium & principiatum sunt correlativa; ergo si privatio est principium rei naturalis, etiam in fieri debet esse, quando res naturalis ponitur; probatur consequentia, quia correlativa sunt simul natura, & cognitione; ergo si privatio est principium rei naturalis in fieri, debet esse quando est principiatum; si verò non est, sequetur quòd non erit principium, quod non modo urget contra In-

stantiam, sed etiam contra conclusionem dist. R. dato ant. negando consequentiam hujus probationis ant. distinguo: correlativa sunt simul natura & cognitione positiva & propriè realia permanentia, concedo ant. correlativa negativa & succedentia, nego ant. & consequentiam utramq;. Itaq; licet communiter dicatur, quòd correlativa sint simul, hoc tamen intelligendum est de propriis & realibus, ac positivis, non verò de privativis, & quia nec universalitèr illud verum est de positivis, idèò addidi signanter & permanentibus, quia prius & posterius sunt aliquo modo correlativa, & tamen, quia talia, nequeunt esse simul.

Arguitur. Non omnem generationem præcessit privatio; ergo non est universalitèr verum, quòd privatio sit principium rei naturalis in fieri; probatur ant. privatio formæ cæli non præcessit in materia eorundem cælorum, quia in eodem instanti totum cælum fuit creatum; ergo & partes ejus; ergo privatio ejus formæ non præcessit ipsam formam. R. negando ant. cujus probat. ant. dist. privatio formæ cæli non præcessit ipsam formam pro aliquo instanti temporis, concedo ant. pro aliquo instanti natura; nego ant. & consequentiam. Itaq; sufficit quòd pro aliquo instanti nature præcesserit, licet non præcesserit tempore.

Instatur. Sequeretur, quòd privatio formæ cæli, & etiam ipsa forma fuerint simul in eodem instanti reali temporis, sed hoc inconvenientissimum est dicere, quia nulla duò privativè opposita simul esse possunt, ergo. R. cum Scoto, negando sequelam, quia privatio formæ cæli nunquam fuit positivè, & à parte rei, in materia cæli, sed tantum privativè: id est, esset ibi privatio, nisi causa extrinseca dedisset illi formam in illo instanti, in quo haberet privationem formæ positivè, & sic forma, & ejus privatio, nunquam fuerunt positivè simul in materia, pro aliquo instanti reali temporis, unde posset etiam absolute alitèr responderi ad argumentum, quòd licet in productione cælorum non præcesserit privatio, eam tamen præcedere omnem aliam, quæ nunc & de factò contingit ordinariè, per causas naturales, non verò de illa prima productione cælorum; aut de aliis, quibus Deus simul cum forma produceret compositum aliquod, quòd fieri nulla ratione implicat. Nec videtur Aristoteles aliud velle, prout etiam infra dicam de privatione agendo.

Dico 2. *Principia intrinseca rei naturalis in factò esse, sunt tantum duo, materia scilicet & forma.* Hæc est Scoti hic q. 19. conclus. 3. & com. Probatur: Illa tantum sunt principia intrinseca rei naturalis in factò esse, quæ tantum sunt de intrinseca ratione ejus in tali esse, sed hujusmodi sunt tantum materia & forma, ergo; ma. patet; quia res non dependet ab alio tanquam intrinseco, quàm à rationibus essentialibus: probatur mi. quia materia & forma sunt tantum partes essentielles rei naturalis in factò esse, ergo: probatur ant. quia privatio non potest esse, utpote cum privatio sit quid negativum, nihil absolutum autem & substantiale potest constitui per aliquod negativum, sicut nec absolutum, per aliquod relativum, ergo. Confir-

matur, tum quia nihil est assignabile, à quo res naturalis dependeret essentialiter in facto esse, præter materiam, formam, & privationem, sed non dependet à privatione: quia post actualem generationem privatio non manet amplius, aliàs duo privativè opposita essent simul tempore, in eodem subiecto, quod implicat: tum quia si esset aliquid assignabile, maximè unio, sed hæc non est, ergò: probatur mi. quia unio est tantum conditio extrinseca sine qua non, ut infra dicam, nulla autem conditio ingreditur constitutionem essentialem alicujus, ergò.

nec illa esse sibi contraria, ratio est: quia materia & privatio, sese invicem compatiuntur, ut de se patet, quæ autem se compatiuntur, non sunt contraria, ergò. R. 3. Si Forma & privatio ad se invicem comparentur, illa quidem esse sibi opposita, non tamen propriè contraria, ratio est: quia propriè contrarietas debet verificari inter formas reales positivas & accidentales, quæ non modò se invicem expellant, sed etiam natæ sint sibi vicissim esse, sed privatio non est ulla talis forma positiva; ergò; sunt sibi ergò privativè opposita, quia privativa oppositio intercedit inter ea, quorum unum se habet per modum habitus, & alterum, per modum carentiæ, qualiter se habent forma & privatio.

VIII. Quæres I. An prima principia sint sibi contraria? Ante resolutionem advertendum, quòd contraria sint ea, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto sese expellant, cujus definitionis & descriptionis intelligentiam vide in Logica. Hoc prænotato R. 1. Si materia & forma, ad se invicem comparentur, nullo modo esse contraria contrarietate tali, cui competeret prædicta descriptio; Ratio est, primò, quia materia nullum habet subiectum, ex quo expelleretur; secundò, quia Aristoteles cap. de Substantia dicit, substantias nihil habere propriè contrarium; tertio, quia materia & forma concurrunt, ad constitutionem alicujus compositi per se, quæ autem sunt sibi contraria, non possunt sic concurrere, ad alicujus compositi constitutionem. R. 2. Si materia & privatio ad se invicem comparentur,

Quæres 2. Quomodo ergò intelligendus sit Aristoteles quando dixit: prima principia esse contraria? R. quòd intelligi possit primò, quòd aliqua sint sibi contraria, id est opposita privativè, scilicet materia & forma; secundò potest etiam intelligi universaliter de omnibus, quòd sint sibi relativè opposita; tertio quòd sint sibi contraria, propter diversum modum principiandi, materia videlicet per modum subiecti, quod se habet nunc aliter, quam antè; forma verò per modum informantis, seu per modum termini ad quem, & privatio per modum termini à quo; deniq; possunt etiam dici contraria, in quantum habent diversas dissimilesq; entitates & naturas.

IX. Explicatur dictum Aristotelis.

DISPUTATIO II. DE MATERIA PRIMA.

Primum omnium principiorum est materia, quæ ab antiquis, variis fuit compellata nominibus; Egyptii enim eam dixerunt prima vitæ facem, eâ ratione, quòd esset omnium substantiarum, à Creatore Deo productarum, de spicatisissima & vilissimâ, ut proinde eam hieroglyphico Luna adumbrarent, non quidem ratione exiguitatis, sed quòd alieno fulgeat splendore, & quòd in receptione formarum sit mutabilissima. Plato dixit eam non ens; sic enim ait in Thymeo: quid est, quod semper est, generationem autem non habet, & quid est, quod gignitur quidem, nunquam autem est? Item magnum & parvum; magnum, quòd cuncta possit recipere; parvum, quòd ex se nihil possideat. Alii sinum, gremium, receptaculum, quòd formas recipiat & foveat: Alii essentia prima inanis umbram; Manichæi, absurdissimi hæretici, eam appellârunt rerum corporearum formatricem, teste D. Augustino, qui proinde contra eos lib. de natura boni cap. 18 sic invehitur: Non ea tamen Hyle dicitur (sic enim à Grecis dicitur) quam Manichæus dementissimâ vanitate, nesciens, quid loquatur, appellat formatricem corporum; underecè illi dictum est, quòd alterum Deum inducat; nemo enim formare & creare corpora, nisi Deus potest. Divus Augustinus verò eam appellat propè nihil: sic enim loquitur de ea 12. Confess. cap. 30. Duo Domine fecisti, unum propè te & alterum propè nihil: quem Doctor noster sic interpretatur: Dico, quòd loquatur de ordine entium, in genere substantiæ, & ibi est angelus ens supremum, & materia ens infimum. Aristoteles deniq; eam elementum, materiam, & subiectum vocat, de qua etiam veluti primo subiecto & principio exordior dissertationes de principiis in particulari. Sit igitur

QUÆSTIO I.

An detur Materia Prima & quid sit? Quia materia multipliciter accipi potest, ut proinde sciatur, de qua hic sit sermo, ideo prænotandum: Materiam primam, sua divisione, dividi in materiam ex qua, in qua, & circa

quam: Materia ex qua dicitur illud, ex quo aliquid fit, veluti ex subiecto: sic statua fit ex auro, lapide, domus ex calce, lignis, & lateribus &c. Materia in qua est illud, cui aliquid inest; sic Scriptura est chartæ, ligno &c. Materia circa quam illud est, circa quòd agens aliquid occupatur & operatur. Materia ex qua, iterum sub-

subdividitur in materiam alterationis, & compositionis; materia alterationis est illa, ex qua altera vel mutata fit aliquid; sic aqua materia alterationis dici potest, quia ex frigore alteratur ad calorem; & in similibus aliis; materia compositionis ea est, ex qua aliquid fit licet illa non alteretur; sic domus fit ex ligno, lapide &c. Hæc iterum est duplex; una dicitur prima, altera secunda; Prima est, quæ primò ingreditur, veluti pars materialis compositionem rei naturalis, spectata nudè & secundum se absq; ulla forma substantiali, vel accidentali; materia secunda est eadem materia, sed considerata cum aliqua forma substantiali, vel accidentali, sic corpus, quod est altera pars viventis, dicitur materia secunda, quia licet concurrat ad constitutionem alicujus compositi Physici, non consideratur in se tamen nudè, sed cum forma corporeitatis. Titulus itaq; questionis procedit de materia compositionis *Ex qua*, & ea prima, seu secundum se considerata.

II.
Datur materia prima.

Dico I. Datur materia prima. Hæc non solum est Aristotelis, sed etiam omnium Philosophorum & Theologorum, contra nonnullos Gallos, ab Universitate Parisiensi condemnatos, ut refert & citat eos Pontius.

Probatur primò Authoritate D. Augustini lib. I. contra Advers. legis & Prophet. cap. 8. ubi ait: *Neg; enim materies omnino nihil est, de qua, in libro Sapientia, legitur, quia fecisti mundum, de materia informi, non ergo, quia informis dicta est, omnino nihil est, nec Deo fuit coæva, tanquam a nullo facta, nec alius eam fecit, ut haberet Deus, de qua faceret mundum; absq; enim, ut dicitur: Omnipotens non potuisse facere, nisi unde faceret, inveniret: & lib. I. Gen. Contra Manichæ. cap. 6. ait: Deus rectissime creditur; omnia de nihilo fecisse, quia etiam si formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est, ubi expressè docet: Materiam dari, eamq; non aliunde, sed suum esse habere à Deo, ita quod non præxiterit ullò modo, tanquam necessaria, ad productionem totius universi, in quem sensum oppositè etiam agit D. Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 6. ubi etiam dicit: Deum non habere necesse, nec indigere materiâ aliquâ præexistente, ut omnia producat; verba ejus sunt. *Frustra Philosophi materiam quarunt* (id est præviâ, ad hoc, ut Deus aliquid producat) *non eguit materiâ Deum; non enim officinam quaesivit, non artificem, ipse per se, in se omnia fecit, unde & de nihilo.* Si omnia; ergo etiam materiam.*

III.

Dices D. Bernardus potius videtur ibi negare omnem materiam, quàm probare, quòd datur. *Re. negando ant.* quia tantum negat, quarendam esse materiam præexistentem, ut Deus aliquid producat; nam supra clarè distinguit materiam, ab aliis rebus, & ab ipso Deo, contra Manichæos, dum ait: *Ex quo omnia, non de quo omnia: quia non est materia: Deus, causa efficiens, non materialis.* Ex quo loco clarè patet, D. Bernardum verum & communem influxum materialem admisisse, & propugnasse, per modum subjecti.

IV.

Probatur Conclusio secundò ratione: Quando producit ignis ex ligno,

manet idem subjectum, quod fuit ante sub forma ligni, postea sub forma ignis; sed illud subjectum manens, dicitur materia; ergo talis datur, probatur ma. quia aliàs nulla daretur generatio, vel corruptio substantialis, sed omnis productio esset creatio, & omnis destructio esset annihilatio; sed hoc est absurdum, ergo: probatur sequela: quia productio, nullo subjecto præsupposito, est creatio, sicut & destructio, nullo subjecto remanente, est annihilatio: probatur ma. principalis. Secundò: Quia non est ratio, quare ignis, ad producendum alium ignem, destrueret formam ligni, nisi quia non potest ignem, secundum se totum, producere, sed prærequirit etiam aliquod subjectum, in quo producat formam substantialem ignis, nempe materiam ligni; ergo materia ligni est subjectum commune; ergo ulterius vel illa materia dependet ab alia materia priori, vel non; si sic, tunc quero, de illa; alia iterum, & sic in infinitum; si verò non dependet, tunc habetur intentum, quia illa est prima materia, & casu, quo esset possibilis processus in infinitum, in causis essentialibus, tamen non in materia, cum sit primum & infimum subjectum compositi finiti.

Dices: Ratio, quare ignis destruit formam ligni, non est, quòd sit commune aliquod subjectum utriusq; sed quia ignis est incompatibilis cum ligno, sed Contrà; vel idè forma ignis est incompatibilis cum forma ligni in eodem subjecto, & si hoc asseratur, habetur intentum: quia tunc admitti debet aliquod subjectum, in quo sint incompatibiles illæ duæ formæ, vel sunt tantum incompatibiles, in eodem loco, & tunc non est necesse, ut se invicem destruant, quia bene possunt pellere ab eodem loco, absq; eo, quòd sequatur unius destructio, quemadmodum se pellunt duo homines, ab eodem loco, sine destructione.

Probatur Conclusio tertio:

Si non daretur commune aliquod subjectum, nullæ formæ essent sibi invicem contrariæ, sed hoc asserere est contra communem Philosophiam; ergo probatur ma. quia nullæ formæ sunt sibi invicem contrariæ, & incompatibiles, nisi respectu alicujus communis subjecti, cujus petunt vicissim inesse; ergo, si non datur tale, nullæ erunt contrariæ.

Dices: Adhuc dari posse formas contrarias, licet non sit aliquod commune subjectum, quia sunt sibi incompatibiles, respectu ejusdem loci, sed Contrà. Hinc sequeretur, quòd si lignum poneretur in spatio imaginariis, posset habere simul formam ligni & ignis, posset simul esse calidum & frigidum, item posset homo simul vivere & mori, sed hæc sunt inconveniëntia; ergo probatur sequela: quia nulla est inter illas formas incompatibilitas, nisi respectu ejusdem loci, sed tunc non esset aliquid Locus: ergo. Confirmatur, quia in triduo mortis Christi, ejus corpus mansit in sepulchro, cui Divinitas unita fuit, ut est de fide; ergo fuit tunc aliquod commune subjectum ultimum accidentium, & formæ corporeitatis, sed non aliud, quàm materia prima? Instatur.

Instatur. Licet ibi fuerit aliquid commune subiectum, illud tamen non fuit distinctum, à quatuor elementis, sed fuit aliquid ex iis conflatum. Sed Contra: Quando pulvis tormentarius, per diversas vias conficitur, habetne aliquid commune subiectum distinctum, à quatuor elementis, vel est tantum aliquid conflatum ex iis? si primum, sum contentus, si secundum, quare, quare minima scintilla ignis, eum accendat, & in auras evibret? & hoc non facit quarta pars ejus, quae ibi est in illo formaliter inclusa. Sed principaliter contra Conclusionem

VIII.
Opponitur
Aristoteli

Opponitur. *Authoritas Aristotelis I. Met. t. 8. ubi ait: Materiam neq; esse quid (id est substantiam) neq; quantum, neq; quale, neq; aliquid eorum, quibus determinatur, ad decem praedicamenta scilicet, sed inter res corporeas nihil est, quod non determinetur ad decem praedicamenta, tanquam substantia, vel aliquid accidens; ergo si materia nec est substantia, nec accidens aliquid, nihil est; ergo non datur, tanquam aliquid commune subiectum.* R. 1. Aristotelem ibi loqui, non ex propria mente, sed ex mente aliorum Philosophorum Antiquorum. R. 2. Explicando Aristotelem, & distinguendo. Non est quid, neq; quantum, neq; quale, &c. id est, nihil est completum ex iis, quae in praedicamento collocantur, concedo ma. non est quid incompletum, nego ma. & dist. similiter inter res creatas: nihil est, nisi quod ponitur in praedicamento directe, & ut quid completum, nego mi. Indirecte, reductivè, & ut quid incompletum concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; praeter illa, quae directe in praedicamento ponuntur, sunt adhuc alia plura, scilicet omnes partes Physicae, omnes differentiae, proprietates &c.

Instatur. Quidquid est in rerum natura, sive illud completum, sive sit incompletum, debet posse intellectu, vel sensu percipi; sed materia non potest sensu percipi, nec intellectu; ergo non est in rerum natura: probatur minor, quia nihil potest percipi intellectu, vel sensu, nisi quod est in loco circumscriptivè, vel definitivè, sed materia non est in loco circumscriptivè, nec definitivè, ergo probatur mi. non circumscriptivè, quia sic in loco non sunt, nisi corpora, sed materia non est corpus; ergo; nec definitivè, quia non est spiritus, ergo. R. concessa ma. negando mi. ad cuius probationis mi. dico: quod materia prima, quando est in composito, quod sit in loco, eodem modo, quo ipsum compositum, & si per Divinam potentiam ponatur, extra compositum, est in loco, eo modo, quo substantia completa, privata quantitate, est in loco, unde potest percipi etiam sensu, quando subest accidentibus, sicut forma saltem secundario & multo magis ab intellectu, cum sit ens reale, positivum, absolutum, ut infra dicitur, adeoq; continebitur sub objecto adaequato intellectus nostri, vel saltem Angelici.

Urgetur. Intellectus noster, pro hoc statu, non potest colligere, dari materiam primam, nisi ex mutationibus accidentalibus, vel substantialibus, sed ex neutro colligitur; ergo non ex primo, quia etiam Angeli mutantur ac-

cidentaliter, ad intellectionem, & volitionem; neq; etiam ex secundo, quia Aristoteles I. de general. 23. dicit: *Generationem esse mutationem totum in totum*: ergo non remanet aliquid commune subiectum, quod esset materia. R. negando mi. quia colligitur ex mutationibus materialibus; unde licet Angeli mutantur ad intellectiones, & volitiones, non sunt tamen mutationes materiales, sed spirituales: ad alteram probationem. R. 1. quod si aliquid convinceret, quod aeq; convinceret Adversarios; nam si nihil manet; ergo etiam non manet illud conflatum, ex quatuor elementis; unde R. 2. Aristotelem intelligendum esse, de toto categorematicè sumpto, prout dicit compositum ex materia & forma resultans, non verò de toto syn-categorematicè sumpto, pro toto, & singularis ejus partibus, quia sic non transit materia.

Replicatur. Si materia transfret, de uno composito, ad constituendum aliud compositum veluti pars essentialis, sequeretur, quod duo individua essent ejusdem speciei, & non essent, item quod essent idem numero, & non essent, sed hoc est inconveniens: ergo probatur sequela, quia ignis componeretur tam bene ex materia eadem, ex qua erat compositum lignum, deinde materia ligni, esset materia ignis, & sic esset ignis & lignum idem numero, & non esset, quia essent diversae speciei. R. negando sequelam, ad primam probationem dico; quod nullum compositum specificetur ex ratione genericà, sed ex ratione specifica: unde quia materia prima est genus Physicum, ideò non debet specificare individua, in quibus est, sicut nec specificat animalitas illa, in quibus est. Ad secundam probationem, nego suppositum, videlicet quod per materiam singularia individuentur, quia ut dixi in Logica, materia non est principium individuationis.

Arguitur: Si daretur materia prima, quotiescunq; aliquid nutrireretur, mutaretur essentialiter, sed hoc videtur inconveniens, ergo: probatur sequela, quia in nutritione acquireret novam materiam, sed nova materia est nova pars essentialis, ergo R. negando sequelam ma. quia nullum totum mutatur essentialiter, propter mutationem ejus materiae, nisi mutatio sit totalis, hoc est: nisi adveniat tota materia de novo; illa materia autem quae in nutritione de novo advenit, est potius dicenda partialis pars, quam essentialis. Sed

IX.
Argumentum ex ratione.

Instatur. Si tradita doctrina de materia, prima tenet, non poterit salvari resurrectio mortuorum; ergo talis doctrina non est admit-tenda: ant. probatur, quia si quis nutrireretur carnibus humanis, converteret illas in suam propriam substantiam, & consequenter illa alia anima non veniret ad iudicium in propria carne, contra sacram Scripturam. R. quod in tali casu illa materia separabitur, ab eo cuius fuit nutrimentum, & postea informabitur ab anima à qua antea fuit informata, anima autem nutriti informabit partes illas, quae in decursu vitae deflexerunt; nam istae sunt, quae pertinent ad veritatem resurrectionis, & si tales partes jam essent annihilatae, Deus eas subministrabit, per retroductionem, vel alias aequivalentes.



X.
Aristoteles
plures mate-
rie dedit de-
finitiones.

Quantum Ad alteram partem tituli, Aristoteles plures definitiones, seu descriptiones materiae dedit, nam imprimis secundum aliquos, eam descripsit 7. Met. t. 8. per illa verba, dum ait: *Quod materia est, quae per se ipsam, neque est quid, neque quantum, neque quidpiam eorum, quibus ens determinatur.* Ita, ut explicari sic possit, quod materia non sit substantia completa ex se ullo modo determinata ad aliquam certam speciem, sed quod sit indifferens, nec sit quantitas, aut ulla forma substantialis, vel accidentalis, quae explicatio licet bona sit, & sufficienter naturam materiae declarat attamen magis describit, quid non sit, quam quid sit. Secundò definit Aristoteles materiam supra. t. 69. sic: *Materia est quaedam substantia, quae ita se habet ad formas naturales sicut aes, & lignum, ad formas artificiales.* Verùm tamen, nec haec sufficienter essentiam ejus exprimit. Nam licet se eodem modo habeat, ad formas naturales, sicut aes, aut lignum ad formas artificiales: attamen non declarat qualiter, num sit pars potentialis compositi per se, si enim se haberet, ut aes, & lignum completè, nihil per se ex ea resultare posset. Tertio deniq; definit eam lib. Phys. cap. 9. t. 82. hoc modo: *Materia prima est primum subjectum cuiusque rei, ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur, in hoc abibit ultimum,* quam definitionem communiter recipiunt Authores, paucis immutatis; unde dicunt, quod materia sit illud, ex quo quidpiam fit, non per accidens, sed per se, tanquam ex subjecto primo, quam proinde

XI.
Posterior bo-
na est.

Dico 2. Bonam esse, & Probatur explicando omnes ejus particulas: dicitur: *Ex quo quidpiam fit*, ad removendas causas extrinsecas, ex quibus nihil essentialiter fit, & constituitur. Dicitur *non per accidens*, per quam excludi posset privatio, quae non per se ingreditur constitutionem, sed ne forte difficultas moveatur, quasi etiam esset tantum principium per accidens, & non per se alicujus generationis, adeoque non plus deberet numerari inter principia, quam forma praecedens, aut compositum definens, ideo dico, quod haec, & sequens particula *per se conjunctum claritatis majoris gratia posita sint*, ad excludenda subjecta omnia, sive corporea, sive incorporea, quae ex ipsis & accidentibus coalescunt, & dicuntur composita, per accidens qualia sunt homo albus, angelus sapiens. Dicitur *tanquam ex subjecto* per quod excluduntur formae substantiales, ex quibus res componuntur, sed non veluti ex subjecto. Ponitur deniq; *Primo* ut excludatur materia secunda, seu substantia completa, aut aliquod compositum ex aliquo priori factum. Unde patet, Materiam esse substantiam incompletam, substantiam quidem, quia cum sit primum subjectum, non potest habere aliud subjectum, & consequenter non poterit esse accidens; incompleta verò, quia cum ex ea fiat substantia completa, seu totum substantiale, sequitur, debere eam compleri, per alteram partem.

QUAESTIO II.

An Materia sit generabilis, & corruptibilis?

Suppono Contra Camerarium, &

alios, quos pro se citat, Materiam esse quid distinctum ab Elementis, sive collectivè sumptis, sive disjunctivè, seu tam bene ab unoquoque eorum, quam ab omnibus simul, & hoc videtur hac ratione sufficienter deduci & proferri posse, quia in qualibet materia datur aliqua forma, sed hujusmodi forma non est alicujus elementi, minus omnium; ergo materia non est unum, aut plura elementa: probatur mi. quia forma illa non faceret unum per se, quia ex ente completo & alio, sive completo, sive incompleto, non fit unum per se, sed unum per accidens; illa autem materia, sive esset unum elementum, sive plura, esset unum completum; ergo non posset concurrere, ad constituendum unum per se. Probatur idipsum secundò, quia elementa sunt composita ex materia & forma, materia non est sic composita; ergo elementa non sunt materia; probatur ant. tum, quia elementa sunt res subsistens, habent enim qualitates contrarias, ratione quarum tales resolutiones fieri solent, quae enim sunt irresolubilia, tales qualitates non habent; ut patet de caelis & spiritibus: tum, quia ignis, verbi gratia, de novo generatur; ergo fit ex aliquo praesupposito; aliàs crearetur, sed illud est materia prima, & similiter ignis definit esse, non definit autem secundum se totum, aliàs crearetur; ergo aliquid manet, quod erit materia, & sic discurre pariter de aliis elementis, quae omnia sunt generabilia & corruptibilia, si non immediate, saltem mediate. Hoc praesupposito

Quantum ad questionis titulum atinet, indubitatum est, materiam primam esse generabilem & corruptibilem, sumendo generationem pro quacunque rei productione & definitione, quomodoque fiat: cum enim sit ens finitum, potest à Deo produci & destrui, prout defacto producit & destruit, in speciebus Eucharisticis; hoc quidem, per verba Consecrationis; alterum verò, dum ex speciebus generantur vermes; Verùm tamen hic tantum termino est, de generatione & corruptione, in sensu rigoroso, seu pro inceptioe rei ex praesupposito subjecto, in quo sensu dupliciter considerari potest, subjectivè, & objectivè, seu terminativè: subjectivè dicitur aliquid generabile, vel corruptibile, quatenus scilicet est subjectum & radix generationis & corruptionis; terminativè verò, quod est terminus generationis & corruptionis, seu, quod per generationem accipit esse de novo, vel quod per corruptionem destruitur. Hoc praemisso

Dico I. Materia est ingenerabilis & incorruptibilis objectivè, seu terminativè. Ita Doctor I. Phys. q. 2. & 7. Met. q. 8. & 2. d. 12. q. 2. n. 8. quatenus videlicet dicit, quod sit terminus creationis.

Probatur primò: Authoritate S. Augustini. lib. 12. Confess. cap. 6. ubi ait: *Materia*

Materia est mutabilitas corporum, quæ hæc desinit esse, quod fuerant, & incipiunt esse, quod non erant, & paulo infra: Materia est mutabilitas rerum mutabilium, capax formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Ex quibus locis satis deducitur, sanctum Patrem adstruere, ipsam esse ingenerabilem & incorruptibilem, quia ipsa est subjectum omnium aliarum mutationum; ergo ipsa mutari non debet.

IV. Probatur secundò autoritate, & verbis Aristotelis supra l. 82. ubi sic habet: Necessè est namq; neg. oivi, neg. interire, nam si oritur aliquid primum, subjecti oportet, ex quo insit, oritur, quæ quidem est ipsa natura, quamobrem erit, antequam fiat; dico enim materiam primum subjectum uniuersum, ex quo aliquid fit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit nihil, quare erit interempta, antequam intereat. Ex quibus verbis Doctor sic argumentatur supra: si materia esset generabilis, sequeretur quod esset antequam fieret, & si corrumpetur, sequeretur, quod esset aliquid, postquam corrupta est, sed hoc est inconvenientissimum, & absurdum, ergo, probatur sequela; quia omne agens naturale, in quacunq; generatione, secundum Aristotelem, presupponit aliquod subjectum, quod dicitur materia; ergo si materia generaretur, presupponeret seipsam, & sic esset, antequam generaretur; Eodem modo, quandocunq; aliquid corrumpitur, debet remanere illud, in quod res corrupta resolvitur, sed res corrupta resolvitur in materiam; ergo si materia corrumpetur, maneret, postquam esset corrupta, quæ omnia sanæ doctrinae sunt valde dissoluta.

Probatur Conclusio adhuc aliter, ex ratione deducta quoq; ex Scoto: si materia esset generabilis, sequeretur quod daretur transmutatio & in quâ tamen nihil transmutetur, sed hoc est impossibile, ergo probatur sequela; quia in illa transmutatione, quâ acquiritur materia, vel aliquid transmutatur, vel nihil: si nihil; ergo datur mutatio, in quâ nihil transmutatur; si aliquid illud vel est materia prima, vel aliud non primum, quia ipsa materia est, quæ acquiritur, per istam transmutationem, & consequenter non esset subjectum ejus; nec secundum, quia illud aliud esset subjectum, & sic materia prima non esset primum subjectum.

Probatur tertio: Eatenus agens corrumpit aliquid saltem defacto, quatenus introducit aliquam formam in materiam, quæ est destructiva prioris; sed non potest introduci aliqua forma destructiva ipsius materiae; ergo ma. patet mi. probatur: si illa forma esset destructiva ex natura materiae, esset etiam destructiva sui ipsius, sed impossibile est, aliquam formam esse destructivam sui ipsius, quia omnis res naturaliter conatur seipsam conservare, in quantum potest, ergo mi. patet, probatur ma. Illa forma ex natura sua petit conservari in materia, ita ut ex natura sua non possit conservari extra eam; ergo si ex natura sua est destructiva materiae, erit etiam destructiva sui ipsius. Confirmatur: quia in omni generatione & mutatione manet aliquid in genito, quod erat in

corrupto, sed non aliud, quàm materia; ergo materia est ingenerabilis & incorruptibilis. Deinde si deberet presupponere aliam, illa alia tertia, & tertia quartam, & sic in infinitum. Sed in contra.

Arguitur. Si materia esset ingenerabilis & incorruptibilis, esset perfectior composito, sed hoc est falsum; ergo materia est generabilis & corruptibilis, probatur ma. Omne incorruptibile est perfectius omni corruptibili, ergo. R. negando ma. ad prob. dist. ant. Omne ens completum incorruptibile est perfectius corruptibili, concedo ant. quale ens est Deus, Angeli &c. Omne ens incompletum, quale est materia prima, nego ant. & consequentiam, nam materia prima est ens incompletum manetq; incorruptibile, propter imperfectum agendi modum agentium naturalium, quæ semper prærequirunt subjectum, in quod agant, & in quo suos producant effectus, nec possunt rem producere, ex nihilo, nec etiam redigere in nihilum, adeoq; compositum est perfectius, quàm materia.

Instatur. Agens naturale continet in sua virtute totum compositum, & consequenter etiam materiam: sed quod continetur in virtute agentis naturalis, potest generari; ergo materia prima potest generari. R. dist. ma. totum compositum categorematice & per se sumptum, concedo ma. totum compositum synkategorematicè, id est secundum singulas partes sumptum, nego mi. Itaq; agens naturale non continet in sua virtute materiam, quantum ad productionem & generationem ejus.

Urgetur. Quod potest producere perfectius, potest etiam imperfectius: sed totum est perfectius materia: ergo, quod potest producere totum, potest etiam materiam. R. negando mi. quia licet homo possit producere hominem, non potest tamen producere equum, vel asinum & asinus licet possit asinum, non tamen lignum, licet homo sit perfectior asino, & asinus ligno.

Arguitur 2. Omne habens materiam, corruptitur propter materiam, quia materia est causa corruptionis; ergo materia ipsa est magis corruptibilis: probatur consequentia ex illo communi axiomate propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale. R. negando consequentiam, ad axioma dico, illud tantum verum esse, quando illud, de quo fit comparatio, suscipit magis & minus, & ipsum convenit utriq; comparatorum. Vide dicta in Logica.

Instatur. Sicut se habet subjectum alterationis, ad alterationem; ita subjectum generationis, ad generationem; sed subjectum alterationis semper denotatur alterari; ergo & subjectum generationis generari & corrumpi. R. concessa ma. dist. mi. sed subjectum alterationis semper denotatur alterari subjective, vel terminative: trãseat ma. terminative semper nego mi. Itaq; neq; materia, neq; compositum, denominatur terminus alterationis, sed sola qualitas, quia hæc sola accipit suum esse simpliciter, per alterationem; materia ergo subjective dicitur alterari, vel corrumpi, ut supra.

Dico

VII.

Argumentum in contrarium primum.

VIII. Secundum.

IX.

Est generabilis subiecti.

Dico 2. *Materia prima est generabilis & corruptibilis subiective.* Hæc etiam est Scoti supra & communis, habetq; hunc sensum, quod materia sit subiectum, in se recipiens terminum à quo, & ad quem generationis. Probatur: Illud quod subicitur termino à quo, & ad quem generationis & corruptionis, potest denominari generabile & corruptibile; sed materia subicitur termino à quo, & ad quem generationis; ergo est generabilis & corruptibilis; probatur mi. quia privatio & forma sunt termini à quo, & ad quem, sed his subicitur, ut de se patet, ergo. Confirmatur: Quia materia transit à privatione ad formam, & sic dicitur generari: quia in se recipit illud, quod generatur; & e contra transit à forma ad privationem, & sic potest dici corrumpi: ergo.

X.

Dices: Nihil dicitur generabile & corruptibile, nisi in quo formaliter est generatio & corruptio, tanquam in subiecto, sed hæc non sunt in materia, tanquam in subiecto: ergo mi. probatur, quia generatio activa fundatur in agente, passiva verò in termino producto, per generationem activam. *xy. dist. mi.* Generatio non est immediata in materia, tanquam in subiecto immediato; prout generatio dicit mutationem, nego mi. non est in materia immediata prout dicit productionem, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; notandum ex Scoto, quod generatio dupliciter spectari possit, seu dicere duo: semel mutationem, & altera modo productionem, si itaq; consideretur generatio, prout mutatio est, tunc immediata inest in materia, si verò spectetur, ut est productio, tunc non nisi mediate, ratione termini formalis istius productionis, scilicet ratione formæ, quæ est in materia, veluti in suo subiecto immediato, mutatio enim est in illo, quod nunc aliter se habet, quam ante.

XI.

Est simpliciter ingenerabilis.

Dico 3. *Si Proprie quis loqui velit, materia est simpliciter ingenerabilis.* Hanc non puto posse multum in controversiam vocari, probo eam tamen sic: Illud non dicitur proprie esse generabile & corruptibile, quod tale tantum est per accidentalem denominationem, sed materia est talis per accidentalem denominationem, ergo. Probatur mi. quia illud omne potest dici accidentalis denominatio, quod non ingreditur constitutionem & naturam ejus, sed generatio & corruptio non ingrediuntur constitutionem materiae, ergo.

QUÆSTIO III.

An materia sit pura potentia, ita, ut nullum includat actum?

I.

Explicatur sensus questionis.

Olim Circa hanc materiam, grave inter Authores fuit litigium, maximè inter Scotistas & Thomistas, & quamvis modernis temporibus solis discrepent vocibus, ita, ut re non negent ipsi, quod asserimus nos, non erit tamen abs re, si hanc materiam quoq; proponam hic. Pro cuius rei intelligentia

Notandum primò: Sensum questionis non esse, an materia prima, ut est

ens verè possibile, sit pura potentia subiectiva, quia tunc certum est, quod sit pura potentia & si sic quis loqui vellet, tunc potius dicere deberet, quod sit in potentia, quam quod sit potentia, est ergo magna diversitas inter illud, quod est potentia & illud quod est in potentia, sed controversia est, an materia, prout existit, à parte rei, sit pura potentia, ita ut nullum omnino actum includat, sive formalem, sive entitativum? unde

Notandum secundo: Tam potentiam, quam actum multipliciter accipi posse,

primò enim & in laxiori acceptione Potentia dividitur in *activam & passivam*: Activa illa est, quæ aliquid potest producere agendo, talem habet ignis ad calefaciendum, ad producendum alium ignem &c. Potentia passiva est, quæ potest in se recipere aliquam formam, ut potentia, quam habet paries, ad recipiendam albedinem, materia prima, ad recipiendam formam substantialem. Potentia passiva adhuc duplex est: una Physica, altera Metaphysica; Physica est potentia, ad aliquid recipiendum, quod est realiter distinctum à se ipso; Metaphysica ea est, quam habet aliqua formalitas, ut possit determinari per aliam formalitatem, ut animalitas determinatur per rationalitatem, & brutalitas per gannibilitatem, rudibilitatem &c. & sunt omnia genera & omnia superiora, quia omnè genus & superius potest contrahi per inferius, seu est in potentia ad differentiam inferioris, & hoc est, quod Aristoteles genus frequenter vocat materiam.

Notandum tertio: Magis proprie

ad propositum nostrum Potentiam ad huc aliam esse obiectivam, aliam subiectivam: Potentia obiectiva ea dicitur, quam habet aliqua res, ad existendum, quando non actualiter existit potestum, extra suas causas, sic Anti Christus habet potentiam obiectivam ut possit esse, & hæc potentia ideo dicitur obiectiva, quia consequitur rem, ut est obiectum alicujus potentie productivæ, potentis illam inesse simpliciter producere, ut proinde ad eam duo requirantur, primò, ut res actu non existat producta, secundo, ut non involvat implicantiam & repugnantiam, ad producendum. Potentia subiectiva est ens aliquod, actu existens, extra suas causas, quod licet actu existat, est tamen adhuc capax ulterioris perfectionis, seu formæ adveniens, sive substantialis, sive accidentalis, & si respiciat formam substantialem, dicitur habere potentiam essentialem; si accidentalem, tunc dicitur esse in potentia accidentali, seu actuali, unde eadem res potest esse potentia subiectiva & in potentia obiectiva; subiectiva, in quantum est aliquod tale ens potens & capax; per formam supervenientem, essentialiter vel accidentaliter perfectiori, & in potentia obiectiva, quantum tale est, antequam productum fuerit, non involvebat implicantiam ad productionem, & secundum hoc frequenter Doctor subtilis dicit, subiectivum & obiectivum ejusdem rei solè ratione distingui.

Notandum, Actum quoq; tot modis accipi posse, quot modis accipitur potentia nam

nam omnis potentia dicit ordinem ad actum; unde actus correspondens potentiae obiectivae, quae est ipsa rei alicujus actualis existentia; actus correspondens potentiae subiectivae, est illud ens, quod in certa & determinata specie potentiam subiectivam ultimam complere potest, qui proinde alio nomine vocatur formalis, seu informans & actuans subiectum, scilicet, vel materiam; primus autem dicitur actus entitativus, seu actus existentiae rei, scilicet extra suas causas positae; Actus formalis est duplex etiam, Physicus scilicet, & Metaphysicus: Physicus est actus materiam Physicam actuans, Metaphysicus vero, qui actuat materiam Metaphysicam, & sunt differentiae essentialis rerum.

His praemissis Circa hanc materiam, ut dixi, duplex est sententia: Prima est D. Thomae 1. p. q. 7. art. 2. ad tertium, & alibi saepe, qui dicit, materiam esse puram ita potentiam, ut nullum profus ex se ipso habeat actum, sive formalem, sive entitativum, quem sequuntur Thomista. Secunda vero est Scoti & suorum 2. d. 12. q. 1. n. 7. qui docent materiam habere actum entitativum, quos, praeter Thomistas, ferè omnes sequuntur: cum quibus ad quaestionem

Dico: Materia prima non est pura potentia obiectiva, sed habet verum actum entitativum, est tamen pura potentia subiectiva, ita quod non includat in se aliquid actum formalem. Prima est Scoti supra, sicut etiam secunda maxime in reportat: q. 1. n. 13.

Probatur prima pars Conclusionis ex autoritate & verbis Doctoris n. 11. ubi haec habet: *Qui ergo dicunt, quod materia sit ens in potentia (id est obiectiva) & quod manet esse in potentia, sicut illud ens in potentia quod nondum est, sed tantum est in virtute sua causae, non possunt salvare mutationem aliquam, quia tunc nihil esset praesuppositum agenti, quia quod sic est in potentia, non plus est, quam albedo, quae post unum, aut alterum annum erit, imò est nihil; unde si materia est tale ens in se, seu in potentia, non esset aliqua mutatio, quia nihil esset, nunc aliter se habens, quam prius, & per consequens materia non esset subiectum alicujus mutationis, sed terminum, quare qui asserunt materiam esse puram potentiam obiectivam, negant omnino materiam.* Ex his, & aliis rationibus, hic & alibi

Probatur 1. pars Conclusionis: Materia prima est actuale subiectum formarum substantialium, ergo non est pura potentia obiectiva, sed includit aliquem actum entitativum; probatur consequentia, quia, quod non est entitas realis, actu existens, non potest esse verè subiectum realiter susceptivum formarum substantialium; ergo cum materia prima sit tale ens, etiam secundum Adversarios, non est pura potentia obiectiva.

Probatur secundò: Materia prima est causa actualis, saltem partialis compositi actualis realis Physicè posita, extra suas causas; ergo materia prima ipsa est entitas actualis posita, extra suas causas; & consequenter non erit pura potentia obiectiva, sed habebit actum etiam entitativum.

F. Amandi Hermann Physica.

Secunda pars Conclusionis

VIII.

probatur etiam autoritate & verbis Scoti supra num. 13. ubi sic loquitur: *Dicitur etiam materia esse ens in potentia, quia ens receptivum actus substantialis primò, & accidentalis mediante forma substantiali, & ideo, ut aliquo modo dicatur ens in actu, prout ens distinguitur in actu, contra esse in potentia suae causae; quia est aliquid extra causam suam, tamen distinguitur, contra actum distinguentem & completum speciei, & ideo describitur ens in potentia, quia est maxime receptivum actus, non quod omnino non sit ens, nisi in potentia, sicut anima antiChristi: Ex quibus verbis*

Probatur eadem secunda pars

Conclus. Materia prima est Physicè simplex; ergo non includit duas res, quarum una sit receptiva, & altera receptibilis; probatur ant. Quia primum subiectum ex materia & forma aliàs praesupponeret aliud subiectum, sed materia prima est primum subiectum: ergo. Deinde materia prima non est receptibilis in aliud subiectum, sed materia prima, si esset actus formalis, esset ex natura sua receptibilis in aliud subiectum: ergo. Sed contra Resolutionem

Opponitur Congeries Autoritatum,

IX.

& primo D. Augustini, qui materiam vocat nihil & prope nihil, in libris Confess. supra: Platonis, qui dixit: materiam esse medium, inter ens & non ens, ac deniq; ipsius Aristotelis 1. de generat. cap. 5. ubi dicit: *Materiam esse, cuius essentia in ipso consistit posse.* Verumtamen h. has & omnes similes Autoritates nihil contra assertionem concludere; Nam in primis Gloriosissimus S. Doctor August. tantum vult, quod materia nihil habeat de forma Physica, non verò quod non habeat formam Metaphysicam, ita, quod nihil sit forma, non verò quod nihil sit entitatis; quia si perpenduntur bene eisdem Sancti Doctoris verba supra, tunc clarè deprehenditur, quod licet materiam vocet nihil, dicit tamen hoc nihil non esse omnino nihil, id est, entitatis licet sit nihil formae. Ad Platonem dico, eum per ens intelligere vel formam, quae est perfectius ens, vel compositum, quod est ens completum, & per non ens imperfectius formam, quod est incompletum, cuiusmodi est materia prima. Ad Aristotelem deniq; respondeo, quod dicat materiae essentiam consistere in potentia Physica, non verò in potentia obiectiva. Sed

Opponitur D. Augustinus & solvitur.

Instatur. Aristoteles 6. & 9. Met. dividit ens in actum & potentiam, sed si materia prima non esset ens in pura potentia, mala esset divisio; ergo materia est talis, non modò est ens in potentia Physica, sed etiam entitativa: probatur minor, quia tunc non daretur ullum ens in pura potentia obiectiva. R. dist. ma. divisit ens in actum & potentiam obiectivam, nego ma. in ens obiectivum & subiectivum, seu in potentiam obiectivam, & potentiam subiectivam, concedo ma. & nego mi. ad cuius probationem dico: quod nullum detur ens subiectivum in pura potentia obiectiva; per hoc tamen non erit adhuc mala divisio, quia est per differentias, quae non sunt oppositae, nisi respectu eiusdem, & sic possunt eidem competere, respectu

Xx

specu

specu diverforum, nec hoc dicere aliquid novum est, quia etiam ipse Aristoteles divisit quantitatem, in æqualem & inæqualem, cum tamen non sit necesse, ut aliqua quantitas sit ita æqualis, ut nullo modo sit inæqualis, cum nullus talis sit, & eodem modo habet se res in proposito.

Urgetur. Omnis actus, vel est informans, vel subsistens, sed materia prima nec est actus informans, nec subsistens; ergo materia prima non est actus; probatur mi. non informans, quod certum est, nec subsistens, quod probatur; quia actus subsistens non indiget alio subsistente & sustentante, sicut informans, adeoq; perfectior est. R. dist. ma. omnis actus Physicus, vel Metaphysicus, est informans, vel subsistens, transeat ma. omnis actus entitativus est informans, vel subsistens, nego ma. quia talis actus nihil est aliud, quam entitas ipsius rei existentis. R. 2. negando mi. pro secunda parte, ad cuius probationem dico, actum entitativum suo modo informare, & perficere ipsam potentiam objectivam, id est secundum esse objectivum ipsam materiam.

X.
Argumentum
extrinsecum.

Arguitur: Ex duobus entibus in actu, non fit unum per se, sed materia & forma sunt duo entia in actu, secundum nos; ergo non faciunt ens per se, quale debet esse compositum naturale R. dist. ma. Ex duobus entibus completis in actu, non fit unum per se, concedo ma. In completis prout est in proposito, maxime si unum sit in pura potentia Physica, & alterum sit actus Physicus, ut est materia & forma; nego ma. Eodem modo respondet fuscus Doctor in secundo supra & in report. n. 17. & 19. ubi ostendit, quantum potest, quare aliqua duo & quænam faciunt ens unum per se. Item quænam sint, quæ non faciunt, & quare non faciunt.

Instatur. Ens completum, & incompletum non differunt, nisi accidentaliter, & consequenter sunt ejusdem speciei; ergo, si repugnat enti completo, in actu facere ens per se, repugnat etiam enti actu incompleto. R. 1. Si instantia valeret, probaret etiam, quod forma, quæ est ens incompletum, non faceret ens unum per se, ob eandem rationem. R. 2. dist. ant. Ens completum & incompletum, sub eodem genere non differunt, nisi accidentaliter, ut albedo ut duo, & albedo ut octo; transeat; si sint sub diverso genere, nimirum actus & potentia, ut est in proposito, nego ant. & consequentiam.

XI.
Secundum.

Arguitur Secundò: Materia prima haberet actum entitativum Metaphysicum, distingueretur per ipsum, ab omnibus aliis rebus, hoc non potest dici; ergo, probatur mi. Omnis distinctio positiva est à forma; ergo, si materia distingueretur ab omnibus aliis rebus, deberet habere formam, & sic non esset pura potentia Physica. R. negando mi. cuius probationis ant. dist. est à forma Physica, vel Metaphysica, concedo ant. à forma Physica semper, nego ant. & similiter dist. consequens deberet habere formam Metaphysicam, vel Physicam, concedo consequentiam, Physicam semper, nego consequentiam, quia etiam Angeli distinguuntur

specie positivè, & tamen non includunt formam Physicam. Sed

Instatur. Ad hoc, ut aliquid habeat formam, vel differentiam Metaphysicam, debet habere radicem, seu principium, unde desumatur, sed in materia prima non potest assignari aliquid tale principium, aut radix; ergo non poterit habere formam Metaphysicam. R. negando mi. Entitas enim realis & Physica materia est tale principium, quæ est diversæ naturæ, ab alia entitate reali & Physica, & hoc est non modo in materia, sed etiam in aliis omnibus naturis.

Urgetur. Si Materia prima haberet aliquem actum Metaphysicum, constitueret cum ipso aliquam speciem, sed non constituit, ergo: probatur mi. quia alioquin esset collocabilis in prædicamento; sed non est; ergo: probatur mi. quia non ad omnes species, utpote cum non participet naturam omnium, nec etiam ad aliquam unam, quia non est ratio, cur potius ad hanc, quam ad illam. R. dist. ma. constitueret aliquam speciem completam Physicè, nego; incompletam Physicè, & Metaphysicè completam, concedo ma. & distinctà similiter minori, nego consequentiam. Ad probationem mi. R. negando, quia potest saltem indirectè & reductivè reduci ad illam speciem substantiæ materialis Physicæ completæ, quam componit, sicut pars potest reduci ad totum.

QUÆSTIO IV.

An Materia prima existat propriâ existentia, vel existentia forma?

Hæc quæstio, quoad resolutionem, totaliter dependet à priori; nam si tenetur, quod nullum habeat actum entitativum, consequenter teneri debet, quod non existat existentia propriâ: unde Thomistæ negantes ei actum entitativum, pariter negativè respondent ad titulum; verumtamen quia præcedentem resolvi affirmativè; idè cum Scotistis & Neotericis communiter ad quæstionem

Dico: Materia prima non existit existentia formæ, sed suâ. Ita Scotus in 2. d. 12. q. 1. & 2.

Probatur primo: Ratione delimitata ex Aristotele 7. Met. t. 13. ubi dicit: Actum esse, quod distinguit unam rem, ab alia, sed materia prima distinguitur realiter à forma substantiali, quia sine illa existere potest, ut dicam infra; ergo habet aliquem proprium actum, per quem existat; ergo non existit per formam, seu per ejus existentiam, sed per propriam.

Probatur secundò: Nihil prius potest existere per existentiam posterioris, sed materia prima est prior, quam forma aliqua substantialis materialis & Physica; ergo materia prima non potest existere per existentiam formæ, sed existit per existentiam propriam; consequentia videtur esse optima: nam si prius materia existit, quam existat forma, ergo prius habebit existentiam, quam existat forma, quia omnis res per suam existentiam existit, materia etiam patet: quia existentia posterioris non potest

potest esse, antequam sic illud, quod est post-
terius; restat ergo sola probanda minor: Mate-
ria est subiectum primum & immediatum
omnis formae substantialis, & omnis formae ma-
terialis; causa verè in eam influens, sed omnis
causa est prior saltè naturà, quàm sit in quod
influit suam causalitatem; ergo materia saltè
naturà erit prior, quàm sit forma & consequen-
tèr non poterit existere, per existentiam formae,
cùm existentia formae non sit ante ipsam for-
mam. Confirmatur: Concurfus materialis est
influxus, & aliquo modo operatio, sed prius est,
rem esse & existere, quàm operari; ergo in illo
priori, quo materia concurrat, ad productio-
nem, seu educationem formae, existit materia &
non existit forma; ergo pro illo priori materia
non existit per existentiam formae, quia pro il-
lo priori forma nondum existit, alioquin prius
esset, quàm haberet existentiam suam.

III. Dices: Quòd licet in illo casu, quo ma-
teria concurrat, ad productionem vel educio-
nem formae, non existat forma producenda, ver-
bi gratia: Ignis in materia ligni: existit tamen
prior forma, id est forma ligni, per quam tunc
existit, atq; adeò non existit sine forma, sed
Contra implicat: materiam ligni existere per
formam ligni, quando ignis producit, quia
pro eodem instanti, quo producit forma
ignis, destruitur forma ligni, quia ista expelli-
tur per formam ignis jam productam; ergo in
illo instanti non est existentia formae ligni; er-
gò pro illo instanti non poterit per illam exi-
stere.

IV. Probatur Conclusio secundò:
Ex Ente & non ente simpliciter, non fit ali-
quod ens simpliciter, tanquam ex parte essen-
tiali, sed ex materia prima fit compositum Phy-
sicum, quod est ens simpliciter; ergo materia
est ens simpliciter; ergo ulterius per propriam
existentiam existens; probatur hæc consequen-
tia, quia quod est in potentia objectiva tantum,
est tantum secundum quid tale, sed quod non
est existens, est tale tantum in potentia obje-
ctiva.

V. Dices: Hinc tantum sequi, quòd mate-
ria existat per existentiam formae. Sed è contra:
ipsa existentia formae dependet ab existentia
materiae, seu à materia existente, tanquam à
causa materiali, quia forma dependet in esse &
conservari à materia naturaliter; sed quod de-
pendet à causa existente, dependet ab existen-
tia causae, saltè tanquam à conditione; ergo
existentia formae dependet à se, vel à forma,
tanquam causà, quod non est intelligibile, vel
datur materiae existentia, à quâ dependeat
utraq; tanquam à causa vel ad minus tanquam
à conditione.

VI. Probatur Conclusio tertio:
Omnis actio realis causae efficientis habet pro
termino aliquid ut existens; ergo ubi sunt duae
actiones realiter distinctae & habentes terminos
realiter distinctos, quilibet ex ipsis terminis
debet habere existentiam sibi correspondentem,
sed actio productiva materiae, & actio educiva
formae sunt actiones reales distinctae rationis,
quia una est creatio, & altera productio gene-
F. Amandi Hermann Physica.

ratioq; habent quoq; terminos realiter distin-
ctos, una materiam, altera formam; ergo tam
materia, quàm forma debent habere proprias
existentias.

Probatur Conclusio quartò: VII.

Si existentia materiae esset eadem cum existen-
tia formae, sequeretur quòd quotiescunq; gene-
raretur, vel corrumpetur forma, vel composi-
tum substantiale, quòd toties generaretur &
corrumpetur materia; sed hoc est contra
ipsum Adversarios & dicta superius, ubi demon-
stravi, materiam esse simpliciter ingenerabilem
& incorruptibilem; ergo; probatur sequela
ma. Quia quando res perdit existentiam, non
existit, aliàs posset res existere, quæ nullum ha-
beret existentiam, sed destructà formà, quam
materia prima habet, destruitur existentia, quæ
materia prima existit; quia est eadem existen-
tia utriusq; ergo, destructà illà formà, destrui-
tur materia, ab agente creato; ergo destructà
alterà formà, paritèr destruitur, & sic de cæte-
ris: probatur etiam mi. quia ipsi Adversarii di-
cunt, esse idem subiectum in genito & corru-
pto, & etiam dicunt materiam non generari
vel corrumpi, cùm sit terminus creationis; ergo
habet materia existentiam, distinctam ab exi-
stentia formae, vel debent prædicata contra-
dictoria eidem rei competere, concedere, exi-
stentiam nimirum & non existentiam. Sed

Dices: Non secuturum inde materiam VIII.
esse generabilem vel corruptibilem, quia ad
hoc, ut aliquid corrumpatur, aut destruat, re-
quiritur, quòd transeat ab esse, ad non esse, & ut
generetur à non esse, ad esse, neutrum tamen
contingit; quando materia perdit unam for-
mam & acquirat alteram, quia in eodem instan-
ti quo amittit priorem, acquirat aliam, per
quam nunc existit, & sic nunquam existit, sine
aliqua forma; sed Contra: Materia perdidit
existentiam quæ ante existebat; ergo fuit de-
structa; probatur consequentia, quia destrui
nihil est aliud, quàm perdere existentiam; er-
gò, probatur ant. materia ante existebat, per
existentiam formae, secundum vos ita quòd exi-
stentia formae faciebat ipsam formaliter existe-
re, sed existentia formae est destructa; ergo &
existentia materiae, aliàs eadem existentia esset
destructa, & non esset destructa. Sed aliter

Dices 2. Ut Res dicatur corrumpti vel IX.
produci, non sufficit, ut secundum existentiam
corrumpatur vel producat, sed debere, secun-
dum existentiam & essentiam produci & cor-
rumpi; materia verò non producit, nec cor-
rumpitur, secundum essentiam & sic non sequi-
tur quòd producat vel corrumpatur. Contra
ex hac responsione sequeretur, quòd nec forma
substantialis materialis, nec accidentia genera-
ri possint & corrumpti, sed hoc est contra ipsos:
ergo, probatur sequela, quia formarum & acci-
dentium essentiae sunt, æquè ingenerabiles &
incorruptibiles, aut dicere debent, quòd
quando corrumpitur forma, etiam corrumpa-
tur secundum esse essentiae, & esse objectivum,
quod est absurdum.

Probatur Conclusio quinto: X.
Ad hoc, ut forma dicatur verè generari, se-
cundum

cundum ipsos etiam Adversarios, necessario requiritur, ut materia, in aliquo instanti reali temporis, habeat privationem ejusdem formae; ergo materia praexistit, in illo instanti reali, ante formam etiam primam, sed non existebat tunc, per existentiam formae, quae adhuc non est: ergo; probatur consequentia prima, quia in nullo subiecto datur privatio formae, nisi aptum natum sit, recipere formam, sed materia prima non est apta nata recipere proximè formam realem, nisi actu existat; aliàs materia possibilis esset apta nata proximè recipere formam realem existentem, quod nemo unquam somniavit; ergo materia pro nullo instanti habet privationem formae, pro quo non existit; ergo ulterius si habet privationem formae, pro aliquo instanti, ad ipsam formam, ut illi concedunt & debent, non existit tunc, per existentiam formae, quod est intentum.

XI.
Opponitur &
solvitur D.
August.

Opponitur I. Autoritas D. Augustini lib. 83. qq. 9. 54. Ubi materiam nihil esse dicit, ait enim: *Deterius corpore nihil est, quia materia caret omni specie, rectè nihil dicitur*; Item lib. 12. Confess. cap. 7. dicitur: *Fecisti caelum & terram duo quaedam, unum prope te & c. alterum prope nihil*, ut supra adduxi etiam; ergo materia non habet propriam aliquam entitatem, nec consequenter existit propria existentia, sed solum per existentiam formae. Verùm tamen respondeo ad primum locum, quòd Sanctus Doctor non vocet materiam propriè & absolute nihil, sed solum modò comparatione, ad alias substantias completas, vel in ordine ad formas, ita quòd nihil sit formarum. Ad secundum locum dico, quòd non neget esse aliquid, nam licet dicat, quòd sit *prope nihil*, attamen alibi addit, *hoc nihil non esse tamen omninò nihil*: nam lib. 1. Contra Advers. Legis cap. 8. ait: *Neg, ista materies omninò nihil est &c.* unde in praefato loco tantum vult, quòd duo sint entium genera, quorum unum maximè accedit ad Deum, id est, Angeli: & alterum in perfectione infimum, & est materia prima, ita exponit S. Aug. Doctor subtilis. Sed

XII.
Opponitur &
solvitur
Arist.

Opponitur 2. Autoritas Aristotelis 5. Met. cap. 15. ubi dixit: *Animam esse causam existentiam materiae* & 4. Met. t. 15. dicit: *Quòd materia sit potentia, quia potest progredi ad formam, cum verò actu sit, tunc est in forma*. R. ad primam autoritatem, quòd anima non possit dici causa efficiens materiae, quòd nec Aristotelem velle, Adversarii dicent, sed dicitur eatenus causa, quatenus est causa formalitèr denominandi, non verò, quòd sit causa existendi. Ad secundum locum dico, quòd si Aristoteles similia habet, nihilominus tamen nihil facere contra Conclusionem: nam sumit potentiam, ut opponitur actu formalitèr Physico, non autem ut opponitur actu entitativo, seu existentia, & sic quòd materia actu sit, id est informatur, tunc in forma est, id est, sub forma est. Sed

Instatur. Si materia existit per actum, sive sit Physicus, sive Metaphysicus & entitativus; ergo verum est, quòd non existat per existentiam propriam, probatur sequela: quia existit per existentiam actus Metaphysici; ergo, non existit, per existentiam propriam. R. negando utramq; consequentiam, quia ipsamet

materia est actus ipsemet Metaphysicus; seu realis entitas; unde non habet alienam existentiam, per quam existat. Nec exinde tamen sequitur, quòd tunc ex materia & forma fieret unum per accidens, quia non sunt actus completi Physicè.

Arguitur. Omnis actus purus ita est actus, ut nihil habeat potentialitatis admixtum; ergo etiam pura potentia ita est potentia, ut nihil habeat admixtum de actu, ant. patet, de Deo, qui proinde à Theologis vocatur purus actus, quia nihil includit potentialitatis; probatur consequentia, tum à paritate, tum quia oppositorum eadem est ratio & disciplina, tum quia purus actus & pura potentia summe distant à se mutuo. R. disting. consequens (concesso antecedente) ergo pura potentia ita est potentia, ut nullum includat actum oppositum illi potentia, à qua potentia denominatur pura, concedo consequentiam; ita ut nullum includat actum oppositum potentia, à qua non denominatur pura potentia, nego consequentiam. Itaq; materia prima denominatur in pura potentia subiectiva, & sic nullum includit actum oppositum huic potentia, nempe actum formalem vel informantem, non tamen dicitur esse in pura potentia obiectiva, cum habeat actum entitativum, oppositum purae potentiae obiectivae; Aliud autem est de Deo, qui ratione suae infinitae perfectionis includit omnem omninò perfectionem possibilem, poni in uno, & per consequens, omnem omninò excludit potentialitatem; materia prima verò, licet sit pura potentia subiectiva, tamen non excludit omnem omninò actum.

Instatur. Datur actus purus, qui utramq; potentialitatem excludit; ergo etiam potentia pura, quae utramq; actum, seu actualitatem excludat. R. negando consequentiam; Et ratio disparitatis est, quia infinitae perfectioni competit excludere omnem omninò potentialitatem, quae semper imperfectionem involvit, quòd proinde soli Deo competit; nullum tamè est assignabile ens creatum, quòd sit tam perfectum, ut omnem imperfectionem excludat. Deinde non nego, quin possit dari aliqua potentia ita pura, quae excludat omnem omninò actum videlicet entitativum & formalem, sed tantum non esse possibilem, quae actu existeret, & utramq; excluderet; materia namq; possibilis utramq; actum excludit.

Urgetur. Materia est Physicè simplex; ergo vel tota est potentia, vel tota est actus: Quia simplex entitas non potest constare potentia & actu Physicis, sed non est tota actus; ergo erit tota potentia, & consequenter nullum includit actum. R. materiam primam esse totam potentiam, & totum actum, sub diverso tamen respectu, videlicet tota est potentia subiectiva, & tota est actus entitativus, non tamen per aliquam compositionem, sed per identitatem, quòd non repugnat. Plures objectiones, & instantias, vide apud Autores passim. Per hæc puto tam huic, quam præteritæ quæstioni satis esse factum.

Replicatur. Omnis existentia est à forma, ut ait Avicennas 2. Met. sed materia nullam habet

habet in se formam; ergo nullam existentiam. R. dist. ma. Omnis existentia completa, vel entis Physicè completi, est à forma ultimata, concedo ma. incompleta, seu entis Physicè incompleti, nego ma. quia datur existentia, quæ nullo modo est à forma Physica, ut est existentia Dei, Angeli &c.

QUÆSTIO V.

An materia possit existere absq; omni forma?

Sensus questionis præsentis est: an materia possit, per aliquam potentiam & virtutem alicujus agentis, sive naturalis, sive supernaturalis, extolliari, ab omni forma, ita ut tunc sic extolliata, necessariò deberet definere, vel utrum adhuc permancere possit, & maximè controvertitur de formis absolutis, sive postea illæ sint substantiales, sive accidentales? Principalius tamen agitur, de forma substantiali; quod autem naturæ viribus materia non possit existere sine forma, res videtur indubitata, & mox probabo; quod è contrà supernaturalitèr, separata à forma, existere queat, controvertunt Thomistæ & Scotistæ, cum suis Præceptoribus; nam D. Thomas 1. p. q. 66. a. 1. & quodl. 5. dicit: materiam, de absoluta potentia Dei, non posse existere sine forma, & hoc consequenter ad superiora: nam si non habet propriam existentiam, sed existit per existentiam formæ, non poterit existere, nisi per existentiam formæ. Scotus verò 2. d. 12. q. 2. econtra asserit, id omninò non implicare, quem præter hos sequuntur Recentiores & Nominales communiter. Itaque

DICO I. Materia naturalitèr non potest existere, sine omni forma substantiali, neq; unquam fuit. Prima pars est communis, secunda est contra Marsilium & alios nonnullos, qui putant materiam bis fuisse sine forma, primò in creatione ex illo Gen. 1. comprobantes: Terra autem erat inanis & vacua. Secundò in triduo mortis Christi; verum tamen perperam; unde partem illam secundam probo primò; Si materia unquam fuisset sine forma substantiali maximè in creatione mundi, & in triduo mortis Christi; sed tunc non fuit, sine omni forma; ergo nunquam: major est Adversariorum: probatur mi. quoad primum ex D. Augustino lib. 12. Confess. cap. 29. ubi sic habet: Sic est prior materies, quam id, quod ex ea fit, non idèd prior, quia ipsa efficit, cum ipsa fiat, nec prior intervallo temporis. Et lib. 1. contra Adversarios legis & Proph. cap. 9. ubi sic ait: Nec putandus est Deus informem prius fecisse materiam & intervallo temporis formasse, quod informe prius fecerat, sed sicut in loquente fiunt verba sonantia, ubi non prius vox informis, post accipit formam, sed formata profertur, ita intelligendus est Deus, de materie quidem informi fecisse mundum, sed simul eam concreasse mundo. Similia habet D. Basiliius hom. 2. hexam. ubi vocat Eos Scripturæ depravatores, qui per terram inanem & vacuum, intelligunt materiem informem. Unde si Divus Augustinus, & alii quidam sancti Patres, videntur sentire contrarium, opponi possunt primò præallegatæ autoritates; deinde explicandi sunt, quod materia naturâ, non verò tempore præcesserit formam. Probatur mi. quoad al-

teram: quia in triduo mortis Christi, materia prima, sub forma corporeitatis; unde nos minimè urget; & quamvis Marsilius possit cogitare, argumentum futurum oneri negantibus tales formas, attamen facilè respondent, quòd si fuerit, tunc quòd miraculosè, non naturalitèr & viribus naturæ. Itaq;

Probatur Conclusio, quoad primam partem cum Pontio: si materia possit esse, sine aliqua forma naturalitèr, maximè per actionem alicujus causæ secundæ naturalis, sed hoc non potest contingere, ergò. probatur mi. quia agens naturale non intendit per se destructionem alicujus rei, sed eatenus destruit, quatenus intendit producere aliquem alium effectum, quem absque destructione non possit producere, ergò nequit destrui compositum substantiale, aut separare formam substantialem à materia, nisi producat aliam formam substantialem & consequenter nequit naturalitèr separari.

Dices cum Arriaga: Potest destrui aliqua forma accidentalis, absque ulla forma incompatibili, ut patet in destructione lucis; ergò similiter potest destrui forma substantialis, absque alia forma incompatibili, R. Lucem non destrui per actionem positivam, sed per subtractionem concursus positivi, & illa ipsa subtractio non fit, nisi per defitionem causæ conservativæ, sed formæ substantiales omnes habent causas, naturalitèr conservativas, semper applicatas, nec propterea conservatio earum naturalitèr subtrahi potest, nisi tollantur dispositiones conservativæ earum, quæ tolli tamen non possunt, nisi per introductionem formarum oppositarum. Sed in contra principalitèr

Arguitur. Materia prima habet propriam existentiam, & subsistentiam independentèr à forma; sed illud, quod habet propriam existentiam, & subsistentiam sine dependentia, tanquam à causa, vel tanquam à conditione concomitante, potest existere, sine illo alio; ergò materia potest naturalitèr existere, sine forma. R. dist. ma. Materia habet propriam existentiam, & subsistentiam, prout subsistentia dicit, & sonat idem, quod per se esse, & non esse in alio, tanquam in subiecto inhesionis, concedo ma. Materia habet propriam existentiam, & subsistentiam, prout subsistentia dicit ens per se existens, habens ultimam actualitatem, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam; Itaque materia non potest existere sine omni forma, tùm quia non habet subsistentiam perfectam, ut habet secundum membrum distinctionis, tùm ex eo, quòd talis sit naturæ ordo, à Deo sic præfixus, & connaturalis exigentia; quare non est dependentia à forma, veluti à causâ, veluti à conditione concomitante.

Instatur: Ideò anima rationalis potest naturalitèr existere sine corpore, quia non dicit dependentiam ad corpus, veluti ad causam, aut veluti ad conditionem necessariò concomitantem; ergò si materia non dicit talem dependentiam, etiam naturalitèr potest existere sine forma. R. Negando consequentiam: quia

III.

IV.

V.

Argumentum in contrarium.

existentia & subsistentia animæ est longè perfectior; Deinde ipsa etiam continetur in ordine spiritualium substantiarum, ita ut non sit ita indiga corpore, sicut est materia formâ.

Urgetur. Materia artificiatorum continetur intra ordinem substantiarum corporaliū, sed materia illa potest esse sine forma artificiali; ergo & materia naturalis. R. Negando consequentiam, nam primò peccat syllogismus in diversificando supposito deinde disparitas est, quia materia artificiatorum non tantam perfectionem, à formis artificialibus acquirit, quantam acquirit materia prima à formis naturalibus, unde illa faciliè existere potest, sine illis formis. Sed

VI. **Dico 2.** *Materia prima potest supernaturaliter separari ab omni forma, & sic separata conservari.* Hæc est Scoti 1. d. 49. q. 2. Scotistarum & Recent. communiter suprâ. Probatur primò: Deus potest conservare accidens, sine subiecto, ut patet in Mysterio Eucharistiæ, ergo etiam potest conservare materiam sine forma substantiali; probatur consequentia, quia antecedens est de fide, Plus est conservare accidens sine subiecto, quàm materiam sine forma, sed primum potest Deus; ergo etiam secundum; probatur ma. Quia accidens minus aptum natum est per se stare, quàm substantia, cum essentialitèr indigeat sustentante; substantia verò non sic indigeat, utpote quæ in perfectate consistit, nec in alio esse potest, veluti in subiecto. Confirmatur: Quia forma potest conservari sine materia, ergo materia etiam sine forma, quia videtur, quòd facilius sit conservare subiectum sustentans sine sustentato, quàm sustentatum sine sustentante.

VII. **Dices:** Pura potentia, qualis est materia, magis dependet ab actu seu forma, quàm actus imperfectus à perfecto, id est accidens. Sed contrâ. Non videtur intelligibile, quòd prius naturâ magis dependeat à posteriori, quàm posterius à priori, sed materia est quid prius quàm forma, & accidens posterius quàm substantia, vel subiectum; ergo materia non magis dependet à forma, quàm accidens à subiecto.

Probatur Conclusio secundò: Quidquid Deus producit se solo, sine concursu causæ secundæ, potest illud conservare sine concursu ejusdem; sed Deus produxit materiam sine concursu formæ, aut ullius causæ creatæ; ergo potest etiam eam conservare sine concursu ullius causæ creatæ; minor est certa, quia Deus produxit materiam creando; nulla autem creatura attingere potest terminum creationis: ergo nec in productione materiæ ulla creatura concurret: probatur ma. tum quia omne absolutum, quòd potest Deus facere, mediante causâ secundâ, potest illud facere, sine concursu causæ secundæ, nisi sit de intrinseca ratione, & essentia causati; sed Deus conservat defacto materiam sub forma, & forma non est de essentia ejus, ergo potest eam se solo conservare: tum quia non requiritur major virtus, ad conservandum aliquem effectum, quàm ad ejus primam productionem: nam conservatio & prima ejus productio non distinguuntur,

nisi secundum connotata; ergo, si Deus potuit se solo producere materiam, poterit etiam se solo eam conservare.

Dices I. Deus non potest supplere causalitatem causæ formalis, sed forma est causa formalis materiæ; ergo Deus non potest supplere ejus causalitatem. R. negando mi. quia nullum principium habet causam formalem Physicam, aliàs non esset Physicè simplex, sed materia est primum principium: ergo non potest habere causam formalem; Deinde Resp. 2. distinguendo ma. Deus non potest supplere causalitatem causæ formalis, in proprio genere, id est formando, concedo ma. non potest supplere, in genere causæ efficientis, nego ma. & consequentiam. Itaque licet Deus non possit facere, quiddam facit forma, concurrendo ad constituendum aliquod totum, veluti comparari potest: tamen tanquam causa efficiens conservare tam benè, ac si effet sub forma in toto.

Dices 2. Materia dependet à forma, veluti res modificata à modo, sed modus nunquam potest esse sine re modificata, nec res modificata sine modo, ergo nec materia sine forma: R. negando ma. quia modus nequit esse sine re modificata, ut patet de subsistentia, quæ non potest esse sine re subsistente, nec figura sine figurato, &c. forma verò potest esse sine materia, ergo non est modus materiæ, adeò què falsò allimitur, materiam dependere à forma, veluti à modo.

Probatur Conclusio tertio:

Omne absolutum realitèr distinctum, & prius naturâ alio absoluto, si non sit causa intrinseca, potest esse sine alio absoluto, absquè contradictione, sed materia prima est tale quid, respectu formæ, ergo potest esse sine illa. Dixi realitèr distinctum, propter subiectum & passionem: dixi absolutum, propter relationes, quæ non possunt esse sine illo priori: dixi prius naturâ, propter totum, respectu partium, quia totum est posterius partibus, saltem naturâ: dixi, nisi sit causa intrinseca, propter partes unitas, quæ sunt quid prius naturâ toto: sunt enim partes essentialitèr & intrinsecè constituentes totum: dixi sine alio absoluto, ne fiat instantia in fundamento & termino, respectu relationis intrinsecè advenientis. Major sic explicata, probatur, quia nulla in hoc potest ostendi repugnancia vel implicancia; ergo non est denegandum divinæ potentia; minor patet ex dictis, nam quia materia est de essentia rei absoluta, debet esse absoluta, quòd verò distinguatur à forma, patet ex superioribus questionibus, sicut etiam quòd sit prior, quia est causa & fundamentum formæ: ergo. Confirmatur hæc doctrina: Quia non est assignabilis ulla forma in particulari, à quâ materia non posset separari, & post separationem existere, ut patet de materia, quæ est jam sub forma ligni, & erit postea sub forma ignis, & deinde sub forma cineris, & sic de cæteris; ergo nulla est connexio materiæ cum forma, quâ sublata Deus non posset conservare materiam.

Dices: Licet materia possit esse sine hac vel illa forma; tamen non potest esse sine omni.

omni forma absolute loquendo. Sed contra: Quod contingenter se habet, ad quodlibet generis alicujus absoluti, contingenter se habet ad totum illud genus; sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam in particulari, ergo etiam se habet contingenter ad totum genus formae. Sed contra conclusionem

Opponitur Autoritas Aristotelis

hic, qui docet, implicare contradictionem materiam esse sine forma; Idem docet Scotus hic q. 12. R. Quod tam Aristoteles, quam Scotus, aliud non velint, quam quod naturaliter materia non possit esse sine forma, quod nihil est contra Conclusionem, sed potius pro ipsa, utpote, cum prima neget naturaliter materiam sine forma existere posse, ex quo tamen haudquaquam sequitur, ergo neque supernaturaliter. Quod si tibi hoc displicet, dicit: Aristotelem hic errasse, & Scotum non ex propria mente, sed ex mente Aristotelis fuisse locutum.

Arguitur. Actus pertinet, in ordine ad essentiam, est prior omni actu, pertinente ad ordinem existentiae, sed forma est actus, pertinet ad ordinem essentiae, & materia est actus, pertinet ad ordinem existentiae, ergo ad hoc, ut materia existat, necessarium debet praesupponi forma in ipsa, & per consequens non potest existere sine forma. R. dist. ma. Actus pertinet ad essentiam illius, de cuius est essentia, prior est actu pertinente ad existentiam ejusdem, concedo ma. actus pertinet ad essentiam alterius, quod est posterius altero, pertinet ad essentiam prioris, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam utramque. Itaque forma est actus pertinet ad essentiam compositi, quod est posterius materiae, & per consequens forma est prior, quam existentia totius, inde tamen non sequitur, quod sit prior materia, quia non pertinet ad essentiam materiae.

Instatur: Existentia est perfectissimus actus; ergo si materia existeret sine forma, haberet perfectissimum actum, & non esset in tanta potentialitate, quod est contra naturam ipsius. R. dist. consequens, non esset maxime potentialis, seu in tanta potentialitate, in isto genere potentialitatis, excludendo omnem actum tam entitativum, quam formalem, concedo consequentiam: Non esset maxime potentialis, in alio genere, excludendo actum omnem formalem, nego consequentiam.

Urgetur. Si in tali casu adhuc haberet actum, sequeretur, quod esset in actu, & non esset in actu, sed hoc implicat; ergo probatur sequela, esset in actu, quia existeret: non esset; quia non haberet formam, a qua actu haberet existere. R. dist. sequela: Esset in actu Metaphysico, seu entitativo, & non esset in actu Physico, concedo sequela; esset in actu Physico, & non esset in actu Metaphysico, nego sequela: adeoque nulla est contradictio, ut materia habeat actum Metaphysicum, & entitativum, & non habeat actum Physicum.

Authores passim plures alias congerunt objectiones, & replicas; verumtamen omnes bene resolvi possunt, si attendatur diversitas actus Metaphysici, seu entitativi, & Physici, & ratio specifica naturalium, secundum esse completum & incompletum; sicut etiam aliud esse, quod aliquid sit unum unitate unionis, quam unitate identitatis.

QUAESTIO VI.

Quo Modo Materia conservaretur à Deo separata?

Postquam determinatum est, materiam posse divinitus exspoliari omni forma, nunc restat investigare modum, per quem & qualem separata existeret. Circa materiam omnes ii, qui denegant materiae propriam subsistentiam, non tantum novum influxum requirunt, sed etiam novum perfectitatis modum, quo conservaretur separata; qui verò concedunt propriam subsistentiam, non requirunt quidem novum perfectitatis modum; aliqui tamen dicunt, quod requirat novum & partialem influxum ad ejus conservationem necessarium. Ita Suarez, Ruvius, Connimb. Doctor verò cum suis e contra 2. d. 12. q. 2. Hurtadus, Averfa, Fuentes, & alii negant talem novum concursum necessariò requiri, cum quibus etiam resolutivè ad quaestionem

Dico: *Materia separata à forma, eodem conservaretur concursu à Deo, quo conservabatur conjuncta cum forma.* Hæc est doctoris cum suis, supra.

Probatur illud quod excludit omnimodam dependentiam ab alio, quoad existentiam & essentiam, eodem concursu conservatur sine illo, quo conservabatur conjunctum cum illo: sed materia excludit omnimodam dependentiam à forma, tam quoad essentiam quam existentiam; ergo materia eodem concursu conservatur à Deo, quo conservabatur conjuncta cum forma; ma. patet, quia idèo deberet admitti alius concursus, ad conservationem materiae, quia dicit aliquam dependentiam à forma: minor probatur: quia materia habet propriam existentiam, & per consequens in esse & conservari, non dependet à forma. Confirmatur, quia idèo anima rationalis separata à corpore, dicitur existere sine alio novo concursu; quia de se habet similem existentiam & subsistentiam; ergo idem dicendum de materia.

Probatur secundò: Quia si materia dependeret à forma, non crearetur, sed hoc est contra omnes: ergo probatur ma. quia sicuti est contra creationem alicujus formae ex gratia, quod producat dependentèr à materia è subjecto, ita etiam est contra creationem materiae, quod creetur cum dependentia ad formam. Sed in contra

Arguitur. Idèo colligitur forma dependere à materia, quia nequit naturaliter esse absquè illa: ergo si materia nequit esse naturaliter sine illa, dependet ab illa consequentèr,

I. Mens Authorum.

II. Materia eodem modo conservaretur separata quo conjuncta.

III. Argumentum in consequentibus.

non eodem concursu conservatur separata, quo conservabatur conjuncta. R. negando ant. præcisè, quia non idè non potest forma existere sine materia, quia dependet ab ea, sed quia non creatur, sed producitur per agens creatum, quod nequit ipsam producere, nisi cum dependentia à subiecto.

Instatur. Ex eo, quòd materia nequeat naturalitèr existere sine forma, debet ex aliqua indigentia oriri, quam materia habet, respectu formæ, sed omnis indigentia, quoad existentiam debet suppleri, ut res indigens existat; ergò erit necessarius novus concursus. R. dist. ma. Id debet oriri ex aliqua indigentia materiæ, quatenus naturalitèr petit compleri & perfici per formam perfectione saltem adventitiâ, licet non essentiali intrinsecâ, concedo ma. quatenus cum tali indigentia indigeret novo concursu, ne sine forma periret, nego ma. unde, præter separationis miraculum, non est necessarius alius concursus ad conservationem materiæ, quàm ille, quo prius ante miraculum conservabatur, nam sicut tunc fuit sufficiens, ita & modò.

Urgetur. Materia existeret violentèr tunc; ergò habebit alium concursum, quomodo existit, quàm conjuncta. R. dist. ant. existit violentèr positivè, sicut aqua sub calore, nego ant. negativè, quatenus reperitur sine modo connaturali existendi sub forma, concedo ant. & nego consequentiam.

QUÆSTIO VII.

De Potentia Materia in ordine ad recipiendas formas.

I.
Sensus questionis.

Quia hæcenus semper insinuavi, materiam primam esse potentiam subjectivam ad formas, ubi plura præsupposita fuerunt, quàm seita; idè operæ pretium exigit, rem ipsam paulò fufius, citra brevitatis tamen jacturam, pertractare & inprimis, quod principalitèr controvertitur, resolvam: an materia ipsamet sit in potentia ad formam? an verò, per aliquam potentiam superadditam? cujus controversiæ ratio est, quia omnis potentia, formalitèr loquendo, est alicujus subiecti. Secundò: An potentia materiæ sit una vel multiplex? Tertio, qualis nam sit? & quartò, an potentia receptiva, & sustentativa distinguantur à se invicem? Pro quarum difficultatum resolutione

II.
Potentia materiæ duplicitèr consideratur.

Notandum primò: Potentiam materiæ duplicitèr considerari posse, primò fundamentalitèr & radicalitèr, secundò formalitèr: primo modo sumpta nihil est aliud, quàm ipsum principium potentiale, secundum entitatem ipsam materiæ; unde emanat, postmodum potentia formalitèr sumpta, quæ nihil aliud est, quàm naturalis aptitudo, ad suscipiendas formas, quæ est respectus aliquis transcendentalis.

III.
Potentia alia est universalis in alia particulari.

Notandum secundò: Potentiam iterum esse duplicem; universalem & particularem, seu remotam & proximam: Remota & universalis est, per quam materia, nullis affecta

dispositionibus, nec determinata circumstantiis aequalitèr omnes respicit formas, ita ut eas aequalitèr recipere possit: utpote cum sit adhuc indifferens, per nihil extrinsecum determinata: Potentia proxima & particularis est, quando jam materia, per dispositiones & qualitates accidentales alicujus agentis, magis determinatur ad hanc vel illam formam, ut verbi gratiâ, dum materia ligni, per calorem & siccitatem est determinata, ut possit recipere formam ignis.

Notandum tertio: Potentiam deniq; aliam esse susceptivam formarum, aliam sustentativam, susceptivam formarum nihil est aliud, nisi aptitudo materiæ, ut recipiat aliquam formam, per quam informetur substantialitèr: & per hanc aptitudinem respicit tam animam rationalem, quàm omnes alias materiales: Potentia sustentativa verò, non modò recipit in se formas substantiales, sed etiam easdem in se sustentat, & per hanc respicit tantummodò formas materiales, quæ educuntur vel educi possunt, de potentia materiæ.

His Itaq; prænotatis: Quæstio quoad primam partem, sicut etiam aliàs potissimum versatur de potentia formalitèr sumptâ, Circa quam resolvendam, triplex est sententia famosa: Prima dicit, quòd potentia formalis sit de essentia, seu potius essentia materiæ: Ita Suarez, Connimbr. Complut. Averfa & Recentiores ac Thomistæ communitèr. Secunda putat, potentiam non ingredi formalitèr rationem essentialem materiæ, sed potius esse aliquid accidens de genere qualitatis vel relationis. Ita Averroes, Thomist. Toletus, Zabarel. &c. Tertia deniq; asserit, Potentiam formalitèr sumptam, non esse essentiam materiæ, nec etiam accidens prædicamentale, sed esse proprietatem, realitèr eidem identificatam. Ita Scotus 2. d. 12. q. 1. & 4. d. 11. q. 3. & omnium pœnè Scotistarum. Quas etiam tenendo

Dico I. *Materia non recipit formas substantiales in se, mediante aliqua potentia superaddita realitèr distinctâ.* Hæc est Contra secundam sententiam &

Probatum Conclusio primò: Si materia reciperet formas substantiales, mediante aliqua potentia superaddita, realitèr distincta, materia deberet esse in potentia, ad hanc ipsam potentiam, quia subiectatur in materia; ergò esset ex se immediatè in potentia ad illam vel mediante aliâ, realitèr distinctâ, si primum; ergò ab omnimoda paritate erit ex se nata subiectare formam substantialem: adeoq; nullum requiritur accidens realitèr distinctum medians: si dicatur secundum; ergò erit in potentia ad illam ipsam recipiendam, per aliam tertiam, realitèr distinctam, & sic infinitum, quod sanè absurdum est, ergò. Confirmatur: Potentia ad accidentia recipienda, debet esse accidentalis, sed in materia, ante illud accidens, non est aliud accidens, nisi velles admittere iterum processum in infinitum; ergò, nec est potentia realitèr distincta, ad recipienda accidentia, & consequenter non recipit mediante potentia, realitèr distinctâ superaddita. *Confir.*

Confirmatur secundò: Si materia illam potentiam immediatè reciperet, quæ esset accidens distinctum; ergò multò magis poterit in se immediatè recipere formam substantialem, quia ad hanc majorem habet proportionem, utpote quæ magis ad eam est ordinata, quàm ejus actus. Deniq; sequeretur, quòd materia posset esse sine illa, quòd tamen est absurdum: utpote cum definiatur per ordinem ad potentiam per Aristotelem, sequela etiam patet, quia potest esse sine omni forma accidentali & substantiali, ut patet ex suprà dictis.

Probatur Conclusio secundò:

Si materia non immediatè sibi uniret formam, non faceret cum ea unum per se immediatè, sed potius cum illa potentia, in qua forma immediatè reciperetur, sed hoc est falsum & absurdum; ergò probatur sequela, tum quia forma substantialis non potest facere unum per se, cum accidente completo, quale est potentia, secundum Adversarios, putantes eam esse de qualitate genere, contentam sub potentia naturali; tum quia illa potentia, quæ est accidens, ingrederetur constitutionem alicujus totius substantialis, nempe ex illo & forma resultantis, quæ sanè dissentiant: ergò. Confirmatur Conclusio, ex definitione materiae, quæ dicitur primum subiectum omnium formarum substantiarum; ergò vel est primum subiectum, ut quo vel ut quod: si primum; ergò concludit prima probatio, quia non datur aliquid prius recipiens, ut quo: si secundum dicatur, concludit probatio secunda, cum non sit aliquid subiectum prius recipiens, ut quod, alioquin materia non esset primum subiectum. Sed

Opponitur Contra Conclusionem

Authoritas Aristotelis, qui secundo de Anima l. 2. & 8. Met. t. 15. & alibi vocat materia potentiam & per se potentiam, quam in secunda specie qualitatis collocat alibi; sed potentia naturalis in secunda specie qualitatis collocata est accidens realitèr distinctum; ergò & potentia materiae. R. cum Doctore 2. d. 16. q. 1. Philosophum sæpè appellare materiam potentiam, ad denotandam ejus aptitudinem, ad formas substantiales, non tamen vult, quòd sit talis, per aliam potentiam superadditam, minùs quòd sit de genere qualitatis & potentia naturalis, quia non est propriè activa; unde ad illam speciem potius reducuntur facilitates ad agendum & recipiendum, non verò actiones. R. 2. quòd licet Philosophus dixerit, potentias de secunda specie qualitatis, esse accidentia distincta, intelligendus tamen est de potentiis realitèr distinctis, non verò indistinctis.

Instatur: Illud verum est accidens, quòd potest separari ab illo cuius est, sed potentia materiae est separabilis à materia; ergò potentia materiae verum est accidens: ma. patet: probatur mi. quia quando advenit forma, ad quam materia erat in potentia, destruitur illa potentia materiae ad talem formam, sed possunt advenire per Dei potentiam, aut per impossibile omnes formæ, potentia materiae totalitèr destrueretur, consequenter erit accidens, valdè separabile. R. negando mi. cum probationis majore, quia per advenientem formam, potius

F. Amanai Hermann Physica.

materiae potentia perficitur & quietatur, quàm destruat, ut patet in pluribus aliis potentiis: nam quando aliquis ridet, non perdit potentiam ridendi, nec quando aliquis intelligit aliquid objectum, perdit potentiam intelligendi: alioquin rueret communis illa regula Logica, qui frequentèr arguunt ab actu ad potentiam, tanquam ad bonam consequentiam: non valeret enim, Petrus ridet, ergò potest ridere, Paulus intelligit & discurret, ergò potest intelligere & discurrere, quòd tamen nemo dicit: Itaq; quòd adveniente formà in materia tollitur, non est potentia materiae, sed privatio actus vel negatio, quæ præerat cum materia, & quæ semper conjungitur cum potentia positiva materiae, in absentia formæ.

Urgetur: Actus opponitur potentia, sed forma est actus, ergò opponitur potentia; ergò posità formà, seu actu destruitur potentia. R. dist. ma. Prouit potentia dicit privationem vel carentiam actus, concedo ma. prout dicit capacitatem ad actum, nego ma. & consequentiam. Notandum est, potentiam frequentèr accipi, prout habet adnexam talem carentiam, quia quòd est actu tale, non solet dici posse esse tale, ut quòd sit Episcopus quis, non dicitur, quòd possit esse, & si sic consideretur potentia, tunc quidem habet cum actu oppositionem, non verò si sumatur pro entitate ipsa rei.

Opponitur secundò Authoritas

VIII.

Secundò.

Aristotelis 9. Met. 7. ubi dicit, quòd actus & potentia sint ejusdem generis, ex qua autoritate probare contendunt, quòd potentia materiae, ad formas accidentales saltem, debeat esse accidens; unde subsumitur sic: sed actus est accidens; ergò etiam potentia est accidens. Verum tamen R. Cum Doctore, Aristotelem ibi loqui de actu entitativo & potentia objectiva, id est: quòd res existens, extra suas causas producta, sit ejusdem rationis & naturæ, secundum prædicata quidditativa cum re, quæ est in potentia objectiva ut talis fuit, non verò loquitur de potentia subjectiva eaq; formalis. Sed

Instatur: Inter actum & potentiam subjectivam etiam formalem debet esse proportio, sed actus est accidens; ergò & potentia subjectiva formalis erit accidens. R. dist. ma. debet esse proportio receptivi & receptibilis, seu perfectivi & perfectibilis, concedo ma. debet esse proportio entitativa, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Quia licet inter ea non sit proportio entitativa, est tamen perfectiva.

Urgetur: Si non requiritur proportio entitativa, ad recipiendam formam accidentalem; ergò nec requiritur proportio, ad recipiendam formam substantialem, sed hoc non admittit conclusio; ergò nec illud, unde sequitur; probatur sequela: non est major ratio de uno ac altero, probatur etiam min. quia aliàs deberet concedi, quòd forma substantialis etiam possit recipi mediante potentia accidentali. Resp. negando sequelam ma. cum sua probatione, ratio disparitatis est: Quia forma substantialis, nec potest recipi in accidente, nec in illo sustentari, aut illud perficere; secus tamen est de forma

yy

acciden-

accidentalis, quæ potest tam accidens recipere, quam sustentare, & etiam aliquo modo ab illo perfici, quare bene potest admitti potentia substantialis, ad recipiendas formas accidentales, licet non debeat admitti accidentalis ad recipiendas formas substantiales.

VIII.
Potentia formalis non est de essentia materiae.

Dico 2. Potentia formalis non est de essentia materiae, sed proprietatis ejus, quarto modo. Hæc est Authorum supra, pro tertia sententia cit.

Probatur primo: Potentia formalis est respectus transcendentalis, seu aptitudo in materia, ad recipiendam formam; ergo non potest esse de essentia materiae, quæ est res absoluta, & cum sit tamen ab ea inseparabilis, erit saltem ejus passio.

Probatur secundo: Potentia formalis præsupponit aliquid, ad quod sequitur, non secus ac risibilitas, sed quod præsupponit, non est aliud, quam entitas materiae; ergo non est de essentia materiae; probatur consequentia, quia nihil posterius est de essentia alicujus prioris præsuppositi: ergo. Confirmatur: Quælibet res debet habere aliquam proprietatem, sibi peculiarem & sibi soli competentem, sed non potest assignari alia congruentior proprietas materiae, quam ista aptitudo transcendentalis. Sed Contra

X.
Argumentum in contrarium.

Arguitur: Materia prima essentialiter est ens incompletum; ergo essentialiter petit compleri, sed non petit compleri, nisi per modum potentiae passivæ; ergo est essentialiter potentia passiva. R. concedendo ant. & ejus primam consequentiam, cujus subsumptum distinguo; sed non petit compleri, ita ut ejus incompletum importet potentialitatem materiae, formaliter sumptam: nego subsumptum. Ita ut ista incompletudo denotet & significet principium exigitivum istius potentialitatis formalis, concedo subsumptum, & nego consequentiam. Itaq; licet materia dicat potentialitatem formalem, ad totum constituendum tamen illa non est, nisi propria passio materiae, non verò essentia: sicut etiam alias essentias solemus explicare, per principia exigitiva passionum & proprietatum; sic communior sententia essentiam quantitatis non constituit, per impenetrabilitatem, sed per principium exigitivum impenetrabilitatis; unde similiter materia petit compleri, non per modum potentiae passivæ formaliter, sed per modum principii exigitivi talis potentiae. Eodem modo responderetur, ad alia argumenta, quæ fiunt inde, quod pars vel partialis entitas, respectu totius &c. Sed

Instatur: Si ratio principii exigitivi & radicalis potentiae passivæ formalis est de essentia materiae, potius deberet materia denominari, quod exigeret ordinem, ad formam, quam quod habeat ordinem ad formam; similiter quod potius exigat esse subiectum, quam quod sit &c. sed hæc sunt contra omnem loquendi modum Philosophorum, ergo materia non poterit constitui, per tale principium exigitivum. R. cum Mafrio: quod concipiendo materiam, ut ens incompletum, cui debeat potentia & aptitudo proxima recipiendi for-

mam, sufficienter concipiatur in sua essentia, non concipiendo interim talem potentiam & aptitudinem proximam ad formas, & bene explicaretur essentia materiae dicendo, quod sit quædam natura substantialis absoluta, incompleta, quæ exigit potentiam, ad formas ut constituantur subiectum proximè, potens recipere formas; quando autem dicitur, quod materia dicat essentialem ordinem ad formas, vel quod sit subiectum, ac pars compositi substantialis, tunc intelligendum est, de potentia radicali & remota, non verò de formali & proxima; quod si tamen sit sermo de ista, tunc dicendum est, quod sit essentialiter talis in secundo modo, si verò intelligere quis vellet, in primo modo, tunc intelligas sub sensu reduplicativo. Itaq;

Dico 3. Potentia Radicalis, seu capacitas substantialis materiae primæ, ad recipiendas formas, est de essentia materiae vel potius essentia ejus. Est communior Scot.

Et Probatur: Essentia materiae primæ non potest melius explicari, quam per hoc, quod sit de se, capax omnium formarum, cum sit de se uniuscujusq; subiectum, sed subiectum capax idem est, quod subiectum potens recipere formas; ergo potentia radicalis materiae primæ, respectu formarum est essentia ejus: probatur consequentia, quia sublata hæc potentia radicali immediate, formaliter tollitur materia; ergo est de essentia ejus, id est, materiae. Confirmatur: Illud est de substantia, seu essentia materiae, quod constituit cum forma substantiali totum compositum Physicum, sed hoc nihil aliud est, quam ista potentia radicalis, seu capacitas substantialis ipsius materiae, ad recipiendas formas, ergo. Et per hæc dicta satis fuisse factum puto quaestioni, quantum ad primam difficultatem. Pro secunda

Dico 4. Potentia materiae proxima, seu particularis, multiplex est, juxta pluralitatem formarum, universalis verò & remota una est, ad formas omnes. Hæc videtur esse communior apud Canonicum Parisienses, &c. &

Probatur prima pars primo: Ex autoritate Scoti 4. d. 43. q. 3. K. ubi docet: quod tot sunt in materia potentie, quot sunt forme receptivæ in ea, ne dum specie, sed numero; imò ad unam eandemq; formam singularem, tot esse potentias, quoties eadem forma de novo introduci potest in materiam. Ubi Scotus non loquitur, de potentia remota, quia de ea loquendo dicit, esse unam, quam etiam vocat ordinem aptitudinalem receptivi, ad receptum, ergo.

Probatur Conclusio secundo: ratione: Materia in tantum dicitur habere potentiam particularem & proximam, in quantum per accidentia, diversas acquirit dispositiones, ad introducendam formam, sed pro varietate formarum, diversæ requiruntur dispositiones; ergo etiam diversæ potentie, & consequenter tot erunt diversæ potentie, quot diversæ dispositiones ad formam.

Probatur secunda pars: Ex 9. Met. t. 17. & 19. ubi dicitur: quod in subiecto, contrariorum susceptivo, una est potentia, contrariorum receptiva disjunctim, sed materia dicitur potentia contra-

contradictionis ex eo, quod plures & contrarias formas suscipere possit; ergo erit una potentia, qua omnes recipit.

Probat eadem pars secundo,

Ratione: Si in materia essent plures potentiae universales & remotae, sequeretur, quod simul possit suscipere formam ignis & aquae, sed hoc dicere est inconueniens: ergo; probatur sequela: Materia secundum diversas partes, potest suscipere diversas & alias formas; ergo etiam, si materia habet diversas potentias, etiam diversas & contrarias suscipere naturaliter formas; quia, sicut nulla est contradictio, quod secundum diversas partes recipiat contrarias formas, ita nec est contradictio, quod secundum diversas potentias, contrarias suscipiat formas.

XIII.

Dices: Sequeretur, quod materia esset infinitae perfectionis, si una potentia posset recipere tot diversas & multas formas; sed hoc est inconueniens adstruere: ergo; probatur sequela, quia ideo Deus dicitur infinitae virtutis & perfectionis, quia infinitos effectus producere potest, in genere causae efficientis: ergo etiam materia erit infinitae perfectionis, si una potentia infinitas formas, saltem syncategorematicae, in genere causae materialis recipere valet. R. negando sequelam, quia recipere successive plures formas, in potentia passiva, nullam arguit particularem & infinitam perfectionem; bene tamen arguit in potentia activa, quomodo autem in Deo arguat infinitam perfectionem, posse plures & denuo plures effectus producere, declarabo infra. Interim Contra eandem partem

XIV.

Opponitur *Authoritas Aristotelis 3. phys. 1. o. ubi dicit: quod non sit una eademque potentia, ad contraria scilicet, ad sanitatem & aegritudinem: ergo nec est una eademque potentia in materia, ad formas incompensabiles.* R. illam authoritatem non esse intelligendam, de potentia passiva & activa, sed prout potentia & actus sunt differentiae entis, qua ratione etiam dixit supra: potentiam & actum esse ejusdem generis & speciei, ut patet de posse sanari & posse aegrotare, de quibus exemplificat.

Instatur: Potentia illa remota passiva & receptiva dicit pro formali relationem transcendentalem, sed relatio, secundum nos, multiplicatur ad multiplicationem terminorum, ut patet ex Logica: ergo etiam potentiae multiplicari debent ad multiplicationem terminorum, qui sunt non modo numero, sed etiam specie diversi. R. dist. mi. Relationes multiplicatur, ad multiplicationem terminorum adaequatorum, concedo mi. terminorum inadaequatorum, nego mi. & consequentiam. Itaque licet ad multiplicationem filiorum, multiplicentur paternitates, in Titio, verbi gratia, hoc tamen non arguit, sic etiam debere multiplicari potentias in materia, quia filii omnes sunt termini adaequati & totales, materia tamen non respicit singulas formas, veluti terminos adaequatos, sed omnes collectivè sumptas, veluti unum terminum adaequatum & totalem; singulas verò, veluti terminos inadaequatos, adeoque ad omnes

F. Amandi Hermann Physica.

collectivè sumptas, dicit etiam unam potentiam universalem & remotam.

Urgetur: Si una esset materia, quae haberet potentiam, ad determinatam unam certam formam & alia ad aliam formam, tunc deberent multiplicari etiam potentiae: ergo; etiam modo: quia etiam habet potentiam, ad aliam & aliam formam. R. negando consequentiam, quia in illo casu quaelibet forma esset terminus adaequatus, non sic autem est in proposito; quia nunc materia respicit ita formas, ut nullam respiciat, pro termino adaequato, sed omnes collectivè sumptas, quemadmodum sensus communis non respicit objectum unius potentiae externae, veluti terminum adaequatum: sed omnium collectivè, quamvis singuli respiciant suum objectum, veluti terminum adaequatum.

Dico 5. potentia sustentativa in materia,

est formaliter distincta, a potentia receptiva formarum. Haec deducitur ex Scoto in 3. d. 1. q. 1. art. 1. ubi ex parte accidentis distinguit ex natura rei habitudinem ejus, ad subjectum in ratione informantis & recepti, ab habitudine ejusdem in ratione sustentati, ubi expressè insinuavit, debere etiam habitudines ex parte subjecti distingui.

XV.

Potentia sustentativa est distincta a receptiva.

Probat Conclusio. Modus sustentationis ex natura rei, est formaliter distinctus a modo receptionis; ergo & potentia receptiva, sustentativa, patet consequentia quia distinctio potentiarum arguitur ex distinctione actuum adaequatorum, sed sustentationis actus & receptionis singuli respiciunt adaequatè potentiam sustentativam & receptivam; ergo ipse sunt distinctae. Addidi in majori, adaequatorum, quia si sint actus inadaequati, licet essent specie diversi, non arguunt semper potentiarum distinctionem. Probat ant. principalis argumenti, tum quia hi modi inveniuntur separati, quia materia animam rationalem recipit, non tamen sustentat, tum quia Deus nequit supplere hic receptionem formae in materia, bene tamen sustentationem, ut patet de accidentibus Eucharisticis.

XVI.

Dices: Sustentatio & receptio non sunt actus adaequati, sed tantum inadaequati, respectu potentiae receptivae; ergo non debent eam distinguere: probatur ant. quia potentia receptiva respicit utrumque genus formarum, sive cum dependentia, sive sine dependentia: quia omnibus competit ratio informativa; ergo etiam eadem potentia receptiva. R. negando ant. cum sua probatione, quamvis enim potentia receptiva & sustentativa respiciat formam; eam tamen respiciunt sub diversa ratione formali, informativa nimirum & sustentabili; ac proinde singulae, in suo genere, sunt potentiae completae & adaequatae, & singulae specificantur, a diversis rationibus formalibus. Plura non congero vel pro defensione, vel pro oppugnatione praesentis conclusionis, quia alteram partem censo aequè probabilem, & Barro in principiis Scoti, tenet tanquam probabiliorem, ex eo, quod non sint multiplicandae potentiae sine necessitate.

XVII.

QUÆSTIO VIII.

De Appetitu Materie ad formas.

I. Omnes Philosophi, qui materie intelligentiam assecuti fuere, concesserunt materie suum appetitum: ita ut supervacaneum sit, cum nonnullis Recentioribus, id fusiùs demonstrare, & appetitus acceptiones, tum veterum, tum modernorum, cum Barone refutare; Pro majori tamen dicendorum captu & claritate, quod mox citatus nullum animadvertisse putat,

II. *Appetitus tripliciter sumi potest.*
Prænotandum primò: Appetitum (secundùm quod importatur per terminum) tripliciter sumi posse; primò pro potentia appetitiva, quæ communiter secernitur in rationalem & animalem, & sunt voluntas, & sensus animalis. Secundò sumitur pro actu procedente à tali potentia, in quantum tendit in aliquod bonum sibi conveniens. Tertio pro naturali inclinatione alicujus rei, ad propriam, ex natura sua, sibi competentem perfectionem; quare sicut appetitus, in quantum dicit potentiam & non actum, seu in quantum dicit naturalem vim & virtutem, prima sui divisione dividitur in naturalem, seu in natum & elicicum, sic simpliciter dividitur actus; Appetitus elicitus est, qui à tali potentia appetitiva procedit, seu illa sit materialis, seu rationalis, præcedente aliqua cognitione, in quantum fertur in aliquod objectum, sibi propositum. Appetitus innatus, seu naturalis est inclinatio, seu propensio rei cujuscunq; ad sui perfectionem: & est à natura rei cuilibet naturæ indita, sic dicitur, lapis habere naturalem inclinationem, ut descendat deorsum & ignis sursum, inter quos est magnum discrimen & differentia, quia elicitus est actus realiter & productus, distinctusq; realiter à producente seu appetente, præsupposita aliqua cognitione rei illius, in quam tendit appetitus; Innatus è contra non sic producitur, nec distinguitur, nec præviã requirit præcognitionem & talis est appetitus materie.

III. *Animus est desiderii, alius complacentiæ.*
Notandum secundò: Appetitum adhuc alium esse desiderii, alium complacentiæ; complacentiæ est ad rem habitam & possessam, in qua habens sibi complacet; appetitus verò desiderii est, qui ad rem absentem & quæ defacto non habetur & possidetur, fertur; distinctio inter utrumq; hæc est, quòd desiderii habeat ad nexam prioritatem durationis, ad formam & consequenter privationem formæ, unde cum dicitur, quòd appetitus pereat adveniente formâ, intelligendum est secundùm hoc connotatum, non verò quòd à parte rei desinat; appetitus verò complacentiæ ex opposito habet annexam similitudinem cum actu & ejus receptione, cæteroquin unus, & idem est appetitus.

IV. *Sicut elicitus variatur, ita innatus.*
Notandum tertio: Quòd quemadmodum actus, seu appetitus eliciti, alii sunt conditionati, alii absoluti, alii efficaces, alii inefficaces, ita etiam variantur & multiplicantur suo modo innati, dico notanter suo modo, quia appetitus innatus magis metaphoricè, quam propriè dicitur appetitus, deductâ similitudine ab appetitu elicito; unde quidquid dicitur de

uno, potest etiam dici de altero proportionatè, non verò tam exactè, ut ad amissum utriq; quadret, sed sufficiat, ut simili aliqua ratione.

His prænotatis, circa titulum questionis primò dubitatur, an materia appetat formas, sub ratione generica, vel specifica formarum, vel sub ratione individuali? Secundò, an etiam appetat formas supernaturales, etiam semel habitas ac corruptas? Tertio deniq; an magis appetat formam perfectam, quàm imperfectam? Circa quam materiam communior est sententia, materiam appetere omnem formam; Regentes Parisienses tamen, Ruvius Amicus, Aversa, putant, quòd eas appetat, secundùm rationes individuales, & non magis nobiles, quàm ignobiles, sed æqualitèr omnes; verumtamen contrariã puto esse incedendum viã. Unde

DICO I. *Materia appetit omnes formas, non tamen secundùm rationes singulares, sed secundùm rationes genericas, & specificas essentialis.* Prima pars est communis, secunda deducitur ex Principiis Scoti, estq; Baronis, Arriagæ, Sghemma &c.

Probatur Conclusio ex principiis Scoti 7. Met. q. 15. & 1. d. 3. q. 6. ubi docet: Singularitatem non esse rationem agendi, sed solam naturam & formam specificam; ergò, nec est ratio patiendi, & consequenter appetendi formam, sive illud sit agere, sive pati, non appetet quâ hæc est, sed quâ forma est.

Probatur secundò, tum quia materia appetit formam quâ bona est, sed forma bona est, non quâ hæc est, sed quâ talis naturæ est; ergò, tum quia si appeteret formas, quatenus singulares sunt, non appeteret magis nobiliores, quàm ignobiles, sed appetit magis nobiliores, ut infra dicam; ergò non appetet eas, quâ singulares sunt; probatur sequela, quia illa quâ singulares, non sunt bonæ, quòd autem non est bonum, non potest esse melius, nulli etenim comparativus competit, ubi nullus præsupponitur positivus.

Probatur Conclusio tertio: Quia si materia appeteret formas singulares, quâ tales, verbi gratia, formam lapidis hanc numero, sequeretur quòd alias abhorreret, sed hoc est contra rationem materie, quæ est indifferens ad omnes: ergò; probatur sequela, quia deberet ab iis tam abhorre, quàm privationibus; sed materia abhorret privationibus: ergò; etiam ab aliis formis: probatur materia quia una singularis forma tam est incompatibilis cum alia, quàm cum privatione sui.

Dices: Hæc argumenta bene probare materiam secundùm se spectatam, appetere formas etiam secundùm rationem specificam, non verò si consideretur, in quantum est singularizata: nam sic etiam appeter eas, ut singulares & non ut specificas. Sed Contra, licet materia singularis sit defacto, nihilominus illa non appetit formas, ut singularis est, sed ut materia est: & talem appetitum terminat etiam ad formam, non ut singularis est, sed ut forma est. Sed Instabis;

Instabis: Materia, cum hac numero forma, constituit unum per se totum; ergo hanc numero appetit; probatur consequentia, quia appetitus fertur in id quod facit, sed facit compositum, cum hac numero forma; ergo appetit hanc numero. *R.* dist. consequens, appetit hanc numero, ut hanc numero est, nego consequentiam, ut forma est, concedo. Itaque licet materia appetat formam etiam in numero hanc, nihilominus non facit, in quantum hanc est, sed quia forma est, & sic quoque requiritur singularitas, ipsa tamen non concurrat, nisi per modum conditionis, qualiter etiam dici potest, quod materia fertur in unionem, cum unio sit conditio ad habendam formam. Sed principaliter contra primam partem Conclusionis, quae de se indubitata videtur.

Arguitur. Si materia appeteret omnes formas, deberet omnes simul naturaliter habere, sed hoc non potest, ergo: probatur ma. quia non datur appetitus ad aliquid, quod non potest naturaliter habere; ergo cum materia non possit naturaliter simul habere omnes formas, non potest eas simul appeterere. *R.* dist. ma. posset eas simul habere similitate actus, nego ma. similitate potentiae, concedo. Itaque licet posset omnes appeterere, & etiam appetat, non potest tamen habere eas simul in actu, bene tamen in potentia, ita ut dum habet unam, habeat adhuc appetitum ad alteram, tam habitam, quam non habitam, desiderando vel complacendo.

Instatur. Non datur appetitus innatus ad impossibile, sed omnes formae sunt impossibiles; ergo, probatur mi. quia formae possibiles sunt infinitae, ergo. *R.* 1. quod licet formae essent infinitae, de quo infra, adeoque non possent poni in materia; tamen nulla est forma in tota collectione formarum, quam Deus hic & nunc non posset ponere in materia, & sic nulla in eis esset, cujus materia non esset successivè receptiva.

Urgetur. Si materia appeteret omnem formam, nunquam satiaretur, sed hoc est falsum, ergo, probatur ma. quia quaecumque formam haberet, adhuc appeteret aliam. *R.* dist. seq. Non satiaretur extensivè, concedo, id est, nunquam haberet tot formas, quin posset plures recipere: Non satiaretur intensivè, id est, nunquam naturaliter quiesceret, sub una forma, nego sequelam; Quando ergo habet aliquam unam formam ultimam, tunc est satiata, quantum simul potest satiari. Sed

Dico 2. Materia appetit formas supernaturales, sicut etiam simul habitas & corruptas. Haec quoad primam est Baronis, quam ex principiis Doctoris quoque probat, nam in 2. d. 24. q. 1. docet, quod quantum crescit anima in entitate & perfectione, tantum quoque crescat in capacitate charitatis & 3. d. 13. q. 4. de eadem loquens capacitate, dicit, quod ista potentialitas fundatur in natura animae. Ex quibus sic arguuntur: Appetitus materiae nihil est aliud, nisi capacitas & perfectibilitas, per formam, tam bene, ac animae capacitas gratiae; sed haec est tam naturalis in materia quam in anima: ergo tam bene potest recipere formam supernatura-

lem ac anima. Probatur id ipsum secundo, supponendo appetitum & capacitatem materiae, respectu gratiae esse supernaturalem; quaero jam, utrum materia appetat hanc nec non? negari non potest, cum sit quaedam eius perfectio, aut ergo eam appetit naturaliter, aut supernaturaliter? si naturaliter, habetur intentus: quia haec ipsa forma est supernaturalis; deinde sequitur, quod eodem modo gratia appetatur naturaliter, si dicatur autem, quod illam capacitatem supernaturalem supernaturaliter recipiat, quaeram de hac iterum & sic ibitur in infinitum, vel standum erit in aliquo supernaturali, quod naturaliter recipi possit. Confirmatur tota haec doctrina ex D. Aug. lib. de praedest. sanct. cap. 5. ubi ait: *Posse habere fidem, sicut & charitatem naturae, est hominum, habere vero gratiae, Dei.*

Dices: Appetitus innatus non est, nisi ad formas naturales, sed materia habet appetitum innatum tantum, ergo non erit ad formas naturales. Sed *R.* negando ma. quia aliàs etiam capacitas naturalis non esset, nisi ad formas & perfectiones naturales, quod tamen de fide constat, contrarium esse in gratis & donis supernaturalibus.

Probatur 2. pars Conclusionis, quia appetitus materiae non est, nisi perfectibilis & capacitas formae, sed materia est aequè corrupta & corrupta, ac formae non habitae & possessae: ergo habet aequè appetitum ad formam corruptam, ac ad alias, ma. est certa, probatur min. tum quia cum forma corrupta, de novo producta, iterum constitueret unum per se totum, sicut antè, ut patet, de anima rationali, quae post separationem reunita, idem profus componit totum: tum, quia si forma corrupta non posset iterum recipi naturaliter, debuisset fuisse aliquod impedimentum, positum ex parte materiae, sed nullum tale est assignabile, ergo materia habebit eandem inclinationem ad formam semel corruptam, ob ejus summam indifferentiam; non videtur etenim, quare si forma ignis A corrupta, à Deo iterum reproducuceretur, cur cum ea non posset componere unum per se, sicut cum forma ignis B quae nunquam fuit corrupta. Confirmatur Conclusio: Forma aliqua post separationem, naturaliter iterum appetit materiam, ergo etiam materia formam semel separatam; consequentia tenet à paritate rationis; ant. vero patet, in anima rationali, quae appetit unionem ad corpus. Confirmatur secundo: si color aliquis vel sonus, de novo producat, qui semel desierat, oculus eum naturaliter videbit, & auris audiet: licet supernaturaliter esse secundum acceperit, ergo etiam materia naturaliter recipiet formam, licet semel sit destructa, & supernaturaliter reproducatur. Sed in contra

Arguitur. Non datur appetitus ad illud, quod naturaliter est impossibile, sed non est naturaliter possibile, quod materia recipiat formam semel corruptam; ergo non datur appetitus. Sed *R.* negando ma. quia alioquin materia non posset appeterere formas naturales, quae naturaliter non sunt possibiles, nec nos possemus appeterere beatitudinem, quae tamen falsa sunt. *R.* 2. distinguendo mi. non sunt naturaliter possibiles formae, semel corruptae, ex parte

Yy 3 cause

x.

xi.

xii.

Argumentum in contrarium.

causæ effectivæ, eas reproducentis, concedo mi. ex parte subjecti eas recipientis, nego mi. Itaque materiæ perinde est, sive recipiat formam semel corruptam, sive nunquam ante productam.

Instatur: Si formæ illæ non sunt naturaliter possibiles, ex parte causæ eas producentis; ergo nec sunt possibiles, ex parte materiæ recipientis; probatur consequentia; quia eadem est ratio, de una ac altera, eademque difficultas: ergo probatur ant. quia, sicut formæ producuntur ab efficiente, ita ex materia educuntur. *R. negando consequentiam cum ait: probationis, quia major virtus requiritur ad agendum, quàm ad patiendum: deinde non videtur etiam, quare non posset causa secunda producere effectum etiam semel productum & corruptum; non videtur enim magis distare id, quod nunquam fuit ab eo, quod jam semel fuit; unde putat Baro, nihil obstare, nisi decretum Divinum; nam ut infra dicam, Deus etenim determinat causam secundam ad individuacionem actûs.*

XIII.

Materiæ non appetit omnes æqualiter.

Dico 3. Materiæ non æqualiter appetit formas, sed nobiliores magis, quàm ignobiles. Hæc est Doctoris principis conformis, nam in 4. d. 49. q. 10. probat, appetitum naturalem ad majorem perfectionem esse majorem, & ad beatitudinem, quæ est maxima esse maximum, item d. 50. q. 5. ubi docet: appetitum naturalem in beatis ad beatitudinem non expleri simpliciter per quemcunque beatitudinis gradum, quia non æqualiter appetit hunc vel illum, sed sicut summè non appetit nisi summum, ita non nisi in summo quietari potest, ergo etiam appetitus materiæ non est æqualis ad formas omnes, sed nobiles magis appetet, quàm ignobiles: cum ejus appetitus sit innatus & naturalis.

Probatur Conclusio secundo: ex Aristotele, argumento topico quo utitur I. Met. In causis præcisus sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum: sed materiæ simpliciter appetit formam, quia est ejus perfectio, ergo magis appetit formam, quæ magis perficit & maximè, quæ est maxima ejus perfectio.

Probatur tertiò ratione: Tum quia quod magis intenditur à natura, magis quoque appetitur: sed formæ perfectiores magis intenduntur à natura, ergo quoque magis appetentur: tum quia materiæ magis appetit formas substantiales quàm accidentales, sed substantiales sunt perfectiores, ergo appetit magis perfectas: tum denique sicut appetitu elicitò appetitur magis bonum quàm minus bonum, ita etiam appetitus innatus magis feretur ad magis bonum, quàm ad minus bonum.

XIV.

Dices: Disparitatem esse, quia appetitus elicitus fertur in magis bonum, ex eo quòd illud præcognoscat & discernat, quod facere nequit appetitus innatus. Sed contra I. Idem quod præstat cognitio in appetitu elicitò, præstat instinctus naturæ in appetitu innato: itaque quod discretio facit in cognoscentibus, hoc appetitus & instinctus naturæ facit in non cognoscentibus, nam ut dicit Aristoteles, opus

naturæ & opus intelligentiæ. **Contra** secundo naturalis inclinatio est cum maxima rectitudine, utpote, cum indita sit ab Authore naturæ, sed naturalis rectitudo postulat, ut magis appetatur quod est magis perfectum, ergo. Sed contra conclusionem directè

Arguitur 1. Materia est indeterminata, & indifferens ad omnes formas, ita ut unam non magis, quàm aliam recipere nata sit, ergo etiam omnes æqualiter appetet. *R. dist. ant. est indifferens & indeterminata, quatenus excludit determinatam inclinationem, concedit ant. quatenus excluderet inclinationem majorem ad unam, ut tamen non excludat inclinationem ad alteram, nego ant. & consequentiam; Itaque materiæ indeterminata est, & æqualiter omnes appetit, in quantum to æqualiter excludit inclinationem determinatam, non verò inclinationem majorem.*

Instatur: Istam majorem inclinationem materia non habet ex se, ergo ex se non habet majorem inclinationem ad unam præ alia; probatur ant. quia hanc tantum acquirit ab agente extrinseco, quod illam potius determinat ad perfectiorem præ imperfectiori forma. *R. negando ant. cujus probationis ant. distinguo, quia hanc tantum acquirit ab agente extrinseco, in quantum dicit inclinationem determinatam, concedo ant. in quantum dicit inclinationem majorem, nego ant. & consequentiam.*

Urgetur. Limus vel terra, aut lutum, non acquirit ab agente extrinseco, figulo scilicet majorem inclinationem, ut fiat vas in honorem vel contumeliam, ergo nec materiæ: ergo sicut lutum est indifferens ad formam in opus honestum, & opus contumeliosum: ita etiam erit materiæ. *R. concedendo ant. & primam consequentiam, quia nec responsio dicebat, quòd majorem inclinationem acquireret per agens extrinsecum, bene tamen quòd magis determinetur; itaque tenet paritas de figulo respectu luti, & agente extrinseco respectu materiæ: quòd scilicet utrumq; ad hanc vel illam potius formam per causam naturalem determinetur, non verò, quòd majorem inclinationem acquirat; unde nego secundam consequentiam: disparitas est, quia inclinatio luti est neutra, materiæ verò est naturalis.*

Arguitur 2. Si materiæ magis appetet formam perfectiorem quàm ignobiliorem, esset in statu violento, dum est sub ignobiliore, sed hoc non est dicendum, ergo: probatur sequela, quia tunc aliquid est in statu violento, quando naturaliter appetit aliquid, quod est incompossibile cum illo, sub quo defecto est, sed &c. ergo. *R. negando sequelam ma. cujus probationis ma. dist. tunc aliquid est in statu violento, quando inclinatur ad aliquid oppositum simpliciter, concedo ma. quando inclinatur ad oppositum magis quidem, ita tamen ut sub priori æquè naturaliter quiescat, nego ma. similiter dist. mi. nego consequentiam: Ita licet materiæ majorem inclinationem dicat ad formam perfectiorem & nobiliorem, non dicit tamen magis determinatam, quem ad modum licet lapis aut quodcunque aliud grave simplici-*

citer peteret esse in centro, non sequitur tamen, quod sit in situ violento, quando est super superficiem terræ, quia non est extra latitudinem sive sphaeræ: sic in proposito materia non est in situ violento, licet sit sub ignobiliore & appetat nobiliorem: quia est adhuc sub sua naturali perfectione. Sed

Instatur: Hinc sequeretur, quod materia unicum tantum appeteret formam, sed hoc est contra commune, ergo: probatur, lapis tendendo deorsum, simpliciter tantum appetit unicum centrum, ergo etiam materia unicum tantum formam: probatur consequentia, si lapis esset in centro, nullum aliis ubi expetret, quia esset in suo loco perfectissimo, ergo etiam materia, nullam aliis formam, quia esset sub perfectissima, quod est contra mox dicenda. Resp. negando sequelam, quia cum appetitu majori formæ nobilioris, stat quoque appetitus formæ ignobilis: ad probationem sequelæ dico: quod licet lapis magis appetat centrum, non tamen illud appetit, quin possit naturaliter quiescere in superficie, & si esset in centro adhuc potest habere appetitum ad quiescendum naturaliter & non violentè in superficie, prout etiam dicam de materia.

Urgetur. Non potest esse major vel minor inclinatio ad quidpiam in aliquo, nisi illud sit capax intensiōnis & remissionis, sed materiæ appetitus non est capax intensiōnis & remissionis, ergo majorem inclinationem habere non poterit ad unam præ alia formam: probatur mi. quia appetitus materiæ est unicus & indivisibilis, ergo. Resp. 1. Argumentum bonum esse, sed æquè esse Adversariis solvendum, quia ipsi quoque concedunt materiam appetere plures formas substantiales, item & accidentales & magis illas, quàm has. Resp. 2. dist. ma. nisi sit capax intensiōnis & remissionis formaliter vel virtualiter, aut æquivalenter, concedo ma. nisi sit capax formalis intensiōnis semper, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam. Itaque materia unico & indivisibili, aptitudinali respectu, respicit omnes formas, tanquam terminum adæquatam, tamen respectus ille prius ex natura rei refert materiam ad formam perfectiorem, quàm ad imperfectiorem, & eodem respectu respicit illas cum tali subordinatione, & in hoc sensu dicitur materia appetere magis perfectam quàm imperfectam, non quoad aliquam intensiōnem & remissionem.

DICO 4. Materia, dum est sub forma nobiliori, adhuc appetit formam minus nobilem. Hæc est Doctoris I. d. r. q. i. Probatur: Materiæ appetitus non est aliud, quàm ejus perfectibilitas, sed non obstante formæ perfectissima, materia adhuc esset perfectibilis per formam minus perfectam; probatur minor, quia posse materiam perfici, non est aliud, quàm posse facere cum forma unum per se, sed hoc potest facere cum quacunque forma, ergo. Confirmatur, quia appetitus materiæ ad quancunque formam, est ejus proprietas, sed talis semper manet durante re, & subjecto, cuius est proprietas, ergo non obstante quacunque formæ, materia habebit adhuc appetitum ad alias formas,

esto illæ sint minus nobiles, minusque perfectæ: Sed

Opponitur Autoritas Doctoris subtilis I. d. r. q. s. ad ultimum dico; ubi asserit, quod materia sub perfectissima forma totaliter satiatur quoad appetitum, verba ejus sunt hæc: *Dico, quod non quæcunque forma satiat materiæ appetitum totaliter & extensivè, nisi in illa omnes formæ inferiores includerentur;* Ergo si materia habet perfectissimam formam, satiabitur plenè ejus appetitus & consequenter, dum est sub perfectissima & nobilissima, non appetet minus nobilem. Sed & Scotum loqui de forma in qua includerentur omnes aliæ formæ, non tantum eminentur & quoad perfectionem illarum, sed etiam formaliter & secundum se; & tunc verum est, quod non appeteret ullam aliam, quia haberet omnem formam ad quam dicit appetitum, conclusio verò loquitur de perfectissima forma in prima acceptione tantum. Deinde & 2. Scotum ibi non velle, quod satiarentur omnes ejus appetitus ita, quod non possit ullam aliam formam appetere, sed tantum vult, quod illa unica forma satiaret omnes appetitus materiæ intensivè, ita quod nullam formam posset appetere, quæ magis intensivè eam satiaret & perficeret, & quod materia tunc appeteret adhuc alias formas, nihil absurdi sequeretur magis, quàm quod beatus videns Deum perfectissimè, peteret adhuc videre alias res creatas. Sed

Instatur: Voluntas non potest appetere, vel saltem non appetit minus bonum relicto majori & perfectiori bono, ergo nec materia, quia nihil appetit quod est malum sibi. R. I. negando ant. quia non tantum potest, sed & frequenter relicto nobiliori bono appetit minus nobile, ut patet ex illo Ovidii: *Video meliora proboq; deteriora sequor*: unde negatur etiam consequentia & ratio pro probatione adducta, quia licet materia appeteret minus nobilem formam, nihilominus non appeteret aliquod malum, sed simpliciter aliquod bonum, licet malum secundum quid, imò nec imperfectum, sub hac ratione, sed sub ratione boni, & ratione perfectionis.

QUÆSTIO IX.

De Unitate Specificæ Materia.

Quæstionem hanc examinandam instituo, de omni materia possibili, id est tam de sublunari, quàm cœlesti, & illa, ex quibus substantiæ spirituales ut Angeli & animæ componerentur, si constarent materia, ut nonnulli Sanctorum Patrum & Doctorum senserunt, unde quæstionem hanc pluribus resolvam conclusionibus, & imprimis

DICO I. Non videtur implicare alia materia specie distincta à nostra. Hæc est communior inter Scotistas & Recentiores contra Baronem, & Probatur, quia potest Deus creare alium mundum, & alium seriem rerum ab hac, quæ defacto est planè distinctum, ergo erunt ibi aliæ & aliæ dispositiones ad alias formas suscipiendas & consequenter alia materia. Probatur secun-

XVIII.

Opponitur & solvitur Arist.

I.

II.

Non implicat alia materia specie distincta.

secundò: Quia non implicat, quòd aliquod subiectum limitetur ad determinatas aliquas formas suscipiendas, ergò etiam non implicat, quòd materia limitetur ad aliquas determinatas actus, sed illa materia sic limitata esset diversæ speciei & rationis à nostra, patet ant. quia defacto videmus accidentia & quantitatem præcipuè esse limitatam ad suscipiendas qualitates & alia respectiva, ita ut nullam formam suscipere possit substantialem, sicut nec potest quodlibet aliud accidens. Probatur tertio: Quia si Angeli constarent materia, illa deberet esse diversæ speciei à nostra, ergò: sed de hoc infra expressè agam, nunc contra conclusionem

III.
Argumentum in contrarium.

Arguitur. Si esset aliqua materia possibile alia à nostra, illa deberet esse imperfectior, sed non posset esse imperfectior, ergò. probatur mi. quia nostra est imperfectissima, ergò nulla posset esse imperfectior. R. dist. ma. si formæ, quarum illa materia esset susceptiva, nec numero, nec perfectione essent æquales, concedo sequelam, si essent æquales vel perfectiores, nego sequelam & minorem: quia nostra materia non est ita imperfecta, ut omnium sit imperfectissima, nam imprimis est perfectior omnibus accidentibus. Deinde non videtur improbable, quòd sit etiam perfectior multis formis substantialibus materialibus, adeoque non est absolute imperfectissima dicenda.

Instatur. Ens perfectissimum non potest multiplicari specie, ergò nec ens imperfectissimum, qualis est materia. Resp. primò, negando consequentiam, ejusquè suppositum, videlicet materiam esse ens imperfectissimum, ut paulò ante dixi. Resp. secundò, negando consequentiam, disparitas est, quia si ens perfectissimum non posset multiplicari specie, sequeretur, quòd nec posset multiplicari numero, quia ens perfectissimum, quale est Deus, super omnia benedictus, nec numero multiplicari potest; unde ens perfectissimum excludit ratione infinitatis omnem multiplicationem, non sicut ens imperfectum. Deinde dico materiam non esse ens imperfectissimum.

Urgetur. Actus purus non potest alium in perfectione superare, ergò nec pura potentia poterit alià esse imperfectior vel perfectior. R. negando consequentiam, quia actus purus omnem possibilem perfectionem sibi identificat, ita quòd excludat omnem imperfectionem: pura potentia verò non excludit omnem omnino perfectionem, adeoque una alià perfectior esse potest.

IV.
Sublunarium est una specie infima.

Dico 2. *Materia sublunarium probabilissime est una specie atomà.* Ita Doctor & communis omnium.

Probatur Conclusio: Quia essentia materie consistit in ratione subiecti seu receptivi formarum, sed materia omnis rerum sublunarium est ejusdem receptivitatibus & capacitatis ad formas, ergò est ejusdem rationis & speciei, probatur, quia quælibet materia est capax cujuslibet formæ, cujus est capax altera, ergò quælibet est ejusdem receptivitatibus & capacitatis: probatur ant. ex mutationibus, quas

videmus experientià fieri, circa eandem materiam, quia ex aqua facti sunt pisces, ex piscibus putrefactio vel combustio fiunt cineres, & terra, ex cineribus & terra gignitur gramen, ex gramine es ab animali sanguis & semen, ex semine animal & sic de cæteris, imò ex terra generatur arbor, ex arbore ignis, ex igne aer, ex aère aqua, ubi planè per circulum ab eodem reditur ad idem.

Dices: Si ratio quid probaret, probaret etiam, quòd omnes formæ sint ejusdem speciei, sed hoc est inconveniens dicere, ergò etiam erit inconveniens dicere, materiam esse ejusdem speciei: probatur sequela, quia sicut omnes materiam sunt ejusdem receptivitatibus, ita etiam formæ sunt ejusdem activitatibus & informativitatibus, ergò. R. negando sequelam cum sua probatione, ratio est, quia tota essentia materie consistit in susceptivitate, non verò tota essentia formæ in informatione, quia hæc non solum informat, sed etiam est principium diversarum operationum. Sed

Instabis: Omnes potentie distinguuntur specie, quando actus sunt specie distincti, sed materie actus sunt specie distincti, ergò etiam ipsa. Sed R. negando ma. universaliter, vel si mavis distinguere eam: potentie distinguuntur specie, quando potentie respiciunt actus determinatæ speciei, concedo ma. quando respiciunt actus tantum indeterminate, nego ma. & dist. sic min. nego consequentiam, vide dicta supra, sed principaliter contra Conclusionem

Opponitur Autoritas Aristotelis lib. 4. de Cælo cap. 5. ubi ait: *Ad aliam formam aliam materiam esse necessariam, & in genio ac corrupto manere eandem materiam numero, non verò specie.* Sed R. Aristotelem tantum velle, quòd in quolibet composito sit alia & alia species accidentaliter, non verò essentialiter, in quantum videlicet materia secunda per accidentalem dispositionem ad hanc illam specie formam est determinata.

Instatur: Aristoteles dicit: materiam primam & non secundam, se habere respectu formarum substantialium, sicut materia artificiatorum respectu formarum artificialium, sed hæc est specie diversa, ut patet de auro, stannino, ligno, &c. ergò etiam materia prima est specie diversa. R. dist. ma. Materia prima sic habet sicut materia artificiatorum secundum entitatem suam, nego ma. quantum ad hoc, quòd sicut artificiatorum materia successivè plures formas possit suscipere, ita etiam materia plures formas naturales, concedo maj. unde concessa mi. nego consequentiam: quia non est comparatio secundum omnem respectum, alioquin etiam deberet esse generabilis & corruptibilis, quòd tamen nemo dicit: deinde materia quamlibet formam suscipere potest, non tamen materia artificiatorum, nam ex plumbo non fit gladius vel aratrum, nec ex trunco Mercurius.

Urgetur: Hinc sequeretur, quòd Homo & Leo, non distinguerentur specie totaliter.

lter & adaequatè, sed hoc non est dicendum, ergò. R. dist. sequelam, si per totalitèr & adaequatè intelligatur, non distinguitur secundum utramque partem speciei, concedo ma. si intelligatur, quòd simpliciter totum non distinguitur specie, nego ma. & consequentiam. Itaque ad distinctionem specificam hominis & leonis sicut etiam quarumcunque specierum sufficit, quòd forma, quae praecipue datur esse & distinguit, sit in iis specie diversa, sicut etiam, ut aliqua specie distinguantur Metaphysicè sufficit, quòd differentia sit specie diversa, idem enim genus per plures specificas differentias contrahitur; Imò satis probabile esse dico, quòd non modò variatio formae sufficiat ad specificam distinctionem, sed etiam puto, quòd aliqua specie distinguuntur, licet haberent easdem formas, dummodo in ipsis esset alia & alia materia: nam unitas & convenientia ex integra causa, variatio autem & distinctio ex quacunque variatione cuiuscunque partis, nam species se habent veluti numeri, qui ad cuiuscunque unitatis variantur. Ergò.

VII.
Hec autem
proponitur
distinguitur.

Dico 3. *Materia corporum caelestium, ex suppositione quòd datur, non distinguitur specie à materia corporum sublunarium.* Hæc est Doctoris 2. d. 14. q. 1. & suorum, quam etiam tenent D. Bonaventura, Avicenna & tenent plurimi Recentiores, ut Molina, Hurtadus, Quiedo &c. Et

Probatur primò. *Authoritate D. Augustini lib. 12. Confels. cap. 8. Tu Domine fecisti mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re, penè nullam rem, unde faceres magna, quæ mirantur filii hominum, valde enim mirabile hoc caelum corporeum; sed per mundum intelligitur caelum & terra, ut habet ibidem cap. 19. & lib. Imperf. Gen. cap. 3. & 4. & cap. 3. expressè hæc habet: Mundus vocatur digestio & ordinatio, singularum quarumq; rerum formarum & distinctarum. Ipsa verò materies, caelum & terra, veluti semen caeli appellata est, quasi confusum atq; permixtum, ab Artifice Deo, accipiendâ formis idoneum.*

Probatur Conclusio secundò *ratione: Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi materias, ergò non est dicendum, quòd alia sit materia caelorum, alia sublunarium: probatur mi: si esset aliqua necessitas, esset maximè, ut salvetur incorruptibilitas caelorum, sed ad hanc salvandam non requiritur multiplicatio materialium, ergò ma. est Adversariorum: minor autem inde patet, quia in sententia nostra caeli sunt simpliciter corruptibiles, ergò non requiritur alia materia ad salvandam incorruptibilitatem, cum nulla sit; probatur ant. tum ex labore & doctrina Astronomorum, qui deprehendunt caelos esse passibiles, nam non modò in luna, sed & in sole, & stellis beneficio tubi optici maculas tam fixas, quam mobiles, tum quia Mathematici ajunt: Cometas non modò in re*

F. Amandi Hermann Physica.

gione aëris, sed & in ipsis fieri caelis: tum denique quia sacra Scriptura simpliciter testatur caelos esse corruptibiles, nam 2. Petri 3. clarè dicitur: *Latet eos hoc volentes, quòd caeli erant prius, & terra de aqua & per aquam confusus Verbo Dei, per quæ ille tunc mundum aqua inundatus perivit, caeli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt: igni reservati in diem iudicii & perditionis, Impiorum hominum &c. Adveniet autem dies Domini, ut sur, in quo caeli magno impetu transibunt, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ sunt in eâ opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint &c. caeli ardentés solventur, per quæ verba satis & sufficienter declaratur caelorum mutabilitas & corruptibilitas, ergò.*

Dices: Per Caelos intelligi aërem, non VIII. verò caelos & sphaeras caelestes, sicut etiam in Evangelio, Aves in aëre volantes, aves caeli vocantur. Resp. quòd quamvis per caelum nonnunquam intelligatur aër, nihilominus raro, aut vix invenietur, quòd aër appelleretur in plurali caeli. Deinde dicitur, quòd caeli sint liquefactione solvendi, quòd de aëre verificari non potest, cum ipse absque hoc sit liquidus, nihil enim liquefit nisi solidum, quales sunt caeli, de quibus dicit Beatus Job 37. quòd sint *solidissimi quasi ære fusi.* ergò non aër, sed caeli intelliguntur in textu adducto. Sed

Dixi autem in conclusione, Ex suppositione quòd datur, quia hæc quaestio non potest IX. locum habere apud eos, qui simpliciter negant, caelos esse compositos Physicè secundum partes duas essentielles realitèr distinctas, ut tenent Averroistæ & Thomistæ, negantes esse ejusdem speciei, ut materiae incorruptionem salvent.

Dico 4. *Si Angeli essent compositi ex materia & forma, adhuc essent spirituales, sed eorum materia esset diversæ rationis à materia sublunarium.* Hæc est communior & de mente D. Bernardi, qui videtur sentire Angelos esse Physicè compositos, attribuit ei tamen diversas operationes ab operationibus nostris, ergò etiam habent diversam materiam; Et

X.
Si angeli haberent materiam, ea esset distincta à nostra.

Probatur ulterius: Quia materia, quæ constaret Angelus, deberet esse indivisibilis entitativè, aliàs ipse non esset indivisibilis entitativè, sed divisibile & indivisibile sunt distinctæ speciei, ergò etiam materia Angelorum esset diversæ speciei à nostra, cum hæc sit divisibilis. Confirmatur, quia materia Angeli deberet esse spiritualis, & materia sublunarium est corporea, ergò esset diversæ rationis.

Dices: *Materia Angeli nec esse corpoream, nec spiritualement, sed reddi spiritualement per formam Angeli.* Sed Contra, quia si datur à parte rei materia talis, necessariò debet esse vel corporalis, vel spiritualis: quia ens ut sic adaequatè dividitur in spirituale, & corporale, ita quòd nullû datur ens, quòd non sit, vel spirituale, vel corporale, ergò materia ipsa non potest

XI.

Zz

potest abstrahere ab utroque. Probatur aut. ex D. Augustino lib. de natura boni cap. 1. ubi ait: *Omnis natura, aut corpus, aut spiritus est, & lib. 12. Gen. lit. cap. 7. Quidquid corpus non est, & tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur. Ergo*

XII.

Quæres: An materia sit activa? Resp. materiam esse Metaphysicè & intentionalitèr activam. Patet, quia ab illa emanant proprietates & passiones, sed hoc est esse activum Metaphysicè, ergo. Deinde pullulant ab ipsa relationes accidentales, item movet intellectum ad cognitionem sui, quæ est actio

intentionalis. Deinde fat probabile est etiam, quòd concurrat ad operationes Physicas, verbi gratià, ad motum, quæ operationes toti composito competunt & non soli formæ. Nec obstat, quòd communiter dicatur materiam esse proprium pati & formæ agere, quia hoc tantum intelligendum est, quòd forma sit ratio agendi determinatè, seu hac determinatà actione: materia verò non est talis ratio agendi determinatè, sed tantum indeterminatè per quamcunque actionem, per quod adhuc sufficientèr distinguitur ejus passio ab actione formæ.

DISPUTATIO III. DE FORMA SUBSTANTIALI.

SECUNDUM & principalissimum rerum naturalium principium est forma, quæ tanquam *Dea vel Regina in materia, veluti in solio suo, residet, cujus obsequio & servitio deputata sunt accidentia, quæ eam tuentur, omnibusq; modis propugnant & defendunt, quæ Antiquis, licet materia contemplanda toti fuerint dediti, abscondita sunt, ita, ut sicut oculos illorum evaserat, sic nec mente superit retenta, in ea tamen defendenda cum gloria desudavit Aristoteles, qui eam proinde pluribus compellavit titulis, nam aliquando appellavit eam speciem, eò quòd materia informi præstet decorum, seu potius determinatè specificet compositum; aliquando dixit eam pulchrum, eò quòd inducat rebus pulchritudinem: jam ait esse optimum, eò quòd quam maxime à materia appetatur: iterum vocat eam finem & terminum, eò quòd agentia naturalia eam plurimum intendunt, & generationis sit terminus: alias dixit eam esse quidam rationem & his similia, quales titulos quoq; Divus Augustinus ei sæpius tribuit, qui eam aliquando lucem, aliquando speciem, aliquando diem vocat, & libro de fide & simbolo cap. 2. ait: A qua formatum dicitur, quidquid jam accepit formam; formabile autem, quod potest eam accipere: & de hac in presenti agam disputatione. Sit igitur*

QUÆSTIO I.

*An detur forma substantialis,
& quid sit?*

I.
Non est sermo de forma artificiali.

Quæstio non procedit de forma artificiali, quæ per artem acquiritur, nec de accidentali, quæ sub sensum cadit, nec de substantiali Metaphysica, quæ realitèr illi, cujus est forma, identificatur, sed de substantiali Physica, quæ realitèr distinguitur à re, cujus est forma, ingreditur tamen constitutionem Physicam alicujus rei, per quam una res ab alia distinguitur, vocatur nunc apud Peripateticos ordinariè, actus informans & actuans, de hac ergo quæritur, an detur? & ab omnibus plus supponitur, quàm demonstratur, unde ad primam partem tituli

II.
Dantur forme substantiales in rebus naturalibus.

DICO I. Dantur forme substantiales in rebus naturalibus, quæ non sunt pura accidentia de genere qualitatum. Hæc est communissima inter Peripateticos, ante Aristotelem tamen licet Pythagoras, Timæus & Plato agnoverint, non tamen glorificaverunt.

Probatur Conclusio primò

supposità fide: In mysterio Eucharistiæ, post consecrationis verba, destruitur substantia panis, manentibus accidentibus, sed non destruitur sola materia prima, ergo compositum ex materia prima & alia forma, quæ non est accidens, & consequenter dantur forme substantiales in rebus naturalibus, quæ non sunt pura accidentia; probatur minor, quia materia prima est ejusdem speciei in omnibus sub-lunaribus, ergo illa sola non destruitur, probatur consequentia: quia materia sola esset substantia panis, sequeretur quòd lapis esset panis, quia habet materiam quæ est secundum Adversarios substantia panis, imò sequeretur, quòd post consecrationem maneret substantia panis, quod sic probo: post consecrationem manet corpus Christi, quod habet materiam, sed materia est substantia panis, ergo post consecrationem manet substantia panis, quod est contra fidem. Confirmatur Conclusio & ratio, ex Autoritate Concilii Lateranensis sess. 8. ubi hæc habet: *Damnandum & reprobandum omnes asserentes: animam rationalem mortalem esse, aut unam in omnibus hominibus, & hæc*

et hæc in dubium verentes, cum illa non solum vere per se & essentialiter, humani corporis forma existat. Sed eadem est ratio de omnibus aliis compositis substantialibus; ergo. Et licet Concilium solum pro ratione immortalitatis & pluralitatis adferat, nihilominus ejus auctoritas plurimum convincit, cum hoc magis certum supponat, quam quod sit immortalis & non sit una in omnibus.

mento datur aliqua qualitas prior, quam sint qualitates primæ; quæ proinde tales dicuntur, sed aqua est elementum, cui frigus competit veluti qualitas prima; ergo non poterit aliqua qualitas prior esse frigore, ergo illud frigus de novo productum non provenit ab aliquo accidente, nec etiam à materia, ut de se patet, & nihil aliud superest quam forma substantialis, ergo dantur formæ substantiales.

III. Probatur Conclusio secundò:

In omnibus compositis ejusdem speciei, sive viventibus, sive non viventibus, dantur accidentia similia, in quorum productionem & conservationem propendet compositum, sed hæc propensio non est à materia, quia hæc est indifferens, ut habeat hæc vel illa accidentia; ergo ab aliquo alio: sed hoc non est accidens, quia illud vel esset ejusdem speciei, vel diversæ, non diversæ speciei, quia accidentia non sunt nata causare nisi accidentia ejusdem rationis; nec etiam ejusdem speciei, quia supponitur, illa accidentia esse prima. Probatur major principalis argumenti, tum quia ferrum candens sibi relictum reducit se ad pristinum statum & temperamentum, tum quia aqua calefacta reducit se ad pristinum frigus, ergo dantur in omnibus compositis accidentia, quæ conservari intendunt.

IV. Dices: Illam reductionem ferri candentis non fieri à ferro, nec reductionem aquæ ad pristinum frigus à forma aquæ, sed ab ære circumstante. Sed Contra 1. tum quia frigus tam in ferro, quam in aqua & hæc vel maxime, majus est, quam sit in ære, ergo ær non poterat producere illud frigus, tum quia aqua majus exigit frigus, quam exigit ær, ergo illud frigus non potest provenire ab ære.

V. Instabis: Manere adhuc aliquem gradum frigoris in aqua, quia producit iterum aliud frigus, ergo licet non proveniret ab ære solo, saltem concurrente ære poterit illud gradus relicti reliquum producere. Sed Contra: Calor quia est in aqua, est multo intentior, & magis activus, quam sit ille gradus frigoris: ergo ille gradus non poterit superare calorem & illum expellere, ut introducat iterum frigus; probatur consequentia, quia nullum intensivus, & magis activum potest superari & vinci ab aliquo remisso, & minus activo in se, ergo ille gradus non poterit expellere calorem, sed potius & connaturalius erit, ut ille calor expellat reliquum frigus.

VI. Replicabis: Penes illum gradum manere adhuc aliquam occultam qualitatem, quæ concurret vel cum gradu relicto inexistente in aqua, vel solâ ad productionem frigoris novi. Sed Contra 1. Si illa qualitas est occulta, quomodo possunt eam adversarij assequari? Contra secundò: Illa qualitas occulta, quæ est in aqua, deberet ipsi prius competere quam frigus, cum sit ipsius productiva, sed illa qualitas non potest prius competere aquæ; ergo, probatur mi. In nullo ele-

R. Amandi Hermann Physica.

Probatur Conclusio tertio:

VII.

Datur materia prima substantialis, ergo etiam datur forma substantialis: probatur consequentia: Omne incompletum petit ex natura sua compleri per aliquod aliud ejusdem generis & rationis, sed materia est ens incompletum, ergo debet compleri per aliquod ejusdem rationis, qualis est forma, quæ sola est ejusdem rationis cum materia in genere substantiæ, ergo; probatur materia tum quia natura nihil incompletum ordinar ad se; tum quia nullum incipit motum, quem non perficiat, mi. patet etiam, consequentia est optima: Confirmatur, quia alioquin nullum daretur compositum substantiale, sed hoc est inconveniens asserere, ergo: probatur sequela, quia materia cum accidente non componit aliquid substantialiter per se unum Physicum, ergo. Nec dicas compositum substantiale dici tale ratione materiæ, non verò ratione alicujus formæ, quia compositum ex sua intrinseca ratione includit partes essentielles, quarum una se habet per modum actûs & potentiæ, ut est certissimum inter omnes, sed actûs & potentia, secundum Aristotelem, debent esse proportionata ad invicem, ut patet ex supra dictis; ergo materia non poterit dici sola totum compositum substantiale. Sed

Opponitur Autoritas Aristotelis VIII.

pluribus in locis, signanter tamen 2. de Anima. l. 7. & 8. Metaph. l. 15. ubi ait: ita fieri ex materia & forma, unum per se, sicut ex terra & figura, item 2. de Gener. t. 7. ait: formas elementorum esse primas qualitates, sed figura & primæ qualitates sunt accidentia; ergo non dantur formæ substantiales distinctæ, ab accidentibus, quæ faceret unum per se. Resp. primò: In his & similibus locis, Aristotelem potius loqui ex mente aliorum, non ex propria: unde licet etiam in Metaphysica docere videatur, solam materiam esse substantiam, cætera verò substantiæ affectiones, nihil omnino hoc non nisi ex mente Antiquorum asserit. Resp. secundò: particularitèr & ad primum locum dico, quod ibi tantum velit explicare actualitatem formæ, & potentialitatem materiæ per similitudinem deductam ex rebus artificialibus, non verò quod eadem compositio fieret hic & ibi, cum in naturalibus fiat unum per se, in artificialibus unum per accidens. Ad secundam Resp. 1. Quod Aristoteles ibi describat elementa tanquam per formas notiores nobis. Secundò, quod elementa constituantur per primas qualitates, in quantum sunt sibi contraria, nam elementum duplicitèr capi potest: primò absolucè &

Z z 2 resp.

respectivè; absolute in quantum significatur per has voces *terra, aqua, àir & ignis*; respectivè quatenus significatur per hanc vocem elementum; secundò significat contrarietatem & oppositionem, quando ergò Philosophus dicit, qualitates primas esse formas elementorum, accipit elementum in secunda acceptione, quia elementis inesse contrariorum substantiales id est essentialia sunt, cum per illas constituentur in esse contrariorum & non per formas substantiales: sicut dicimus, paternitatem esse formam substantialem, id est, essentialiam Patris in esse Patris, quia sic est de essentia ejus. Sed

Instatur: Illa alia forma, præter qualitates primas elementorum vel est subsistens, & nullo modo indiget sustentante, vel indiget tali; non primum, quia de ratione formæ est informare à quo sustentatur, si secundum, tunc non est substantia, sed erit accidens, quia per hoc distinguitur substantia ab accidente, quòd substantiæ repugnet alicui inesse vel inhaerere, non verò accidenti, cum hoc postulet inhaesionem. R. illam formam substantialem in elementis, præter qualitates primas indigere aliquo sustentante, ex hinc tamen non sequi, quòd sit accidens, quia non omne quòd ab alio sustentatur est accidens, ut patet de humanitate Christi, quæ sustentatur à verbo; unde sciendum, quòd illa sola forma sit accidens, quæ rei compositæ & constitutæ ita accidit, ut non faciat cum illa unum per se, sed unum per accidens, si itaque ex inhaesionem arguere liceret, & probare formas substantiales esse accidentia, quia insunt: id est dependent à materia, pari ratione dicere quis posset, quòd materia sit accidens, cum dependeat naturalitèr inesse & conservari à forma.

IX.

Hæc quoad primam partem ad secundam progrediendo, Aristoteles definit formam, quòd sit quidditatis ratio, ita 2. Phys. cap. 3. t. 28. cujus sensus est, quòd sit cujuslibet compositi Physici principalior pars essentialis, per quam ab aliis distinguitur & per quam operatur, & quamvis sic explicata bona sit; claritatis gratiâ:

X.

Describitur
forma sub-
stantialis.

DICO 2. Forma substantialis bene describitur, quòd sit actus Physicè simplex constitutivus cum materia compositi alicujus unius per se. Hæc in re videtur indubitabilis, & probatur, quia quemadmodum materia rectè describitur, quòd sit potentia per se respiciens formam, ita forma rectè describitur, per ordinem ad materiam, quòd sit ejus actus, &c. Ponitur actus loco generis, per quod convenit cum ipsa materia, in quantum dicit actum entitativum & eum formis accidentalibus, reliqua locum differentia: habent: dicitur Physicè simplex, quia non componitur ex partibus Physicis, sed ex partibus Metaphysicis; dicitur cum materia, & non cum materia prima, quia forma respicit tam materiam primam, quam materiam secundam, quia sicut forma facit unum per se cum materia prima, ita anima ra-

tionalis unum per se, cum materia secunda seu corpore; dicitur constitutivum unius per se, ad ostendendam formalem rationem formæ, quæ est esse rationem determinativam materiæ ad aliquod compositum constitutum.

Dices: Una forma substantialis est tam bene potentia, quam materia, ergò male dicitur, quòd forma sit actus; probatur aut. Una forma substantialis est susceptiva alterius formæ, ut patet de forma corporeitatis. Resp. negando ant. ponendo utrobiquè omnimodam paritatem, nam materia ita est potentia, ut nullo modo possit esse actus informans, forma verò licet sit actus, est tamen susceptiva per potentiam materiæ alterius formæ.

QUÆSTIO II.

An forma educantur de potentia materiæ.

Antiquitus magnis contentionibus altercatum fuit, aliqui enim Anaxagoræ disciplinam secuti, formas quæ de novo producuntur, in materia præfuisse antecedenter in eadem, latentes tamen & postmodum per actionem agentium naturalium excitari quodammodo & deduci in lucem. Plato docuit rerum formas non semper fuisse & extitisse in materia, sed in materia ex Idearum fontibus, id est, à substantiis quibusdam per se extra singularia existentibus in materiæ receptaculum influere; Avicenna in sua Metaphysica tract. 9. cap. 4. finxit intelligentiam quandam inter cæteras postremam, & subalternam mundi gubernatricem, à qua in materiam ab agente Physico prius dispositam rerum naturalium formæ inducerentur, quam etiam vocavit Colchodeam; Verumtamen tam hic, quam prior error totam materiæ actionem, omnemque generationem substantialem tollit, contra quem etiam est, tum damnatio per articulum Parisiensem, tum unanimis consensus Peripateticorum, licet inter se iterum nonnihil discrepent, nam aliqui asserunt formas esse actu in materia, antequam res generetur, non tamen apparere, sed per generationem manifestari; alii autem dicunt, quòd formæ præexistant in materia, secundum esse inchoatum & imperfectum; alii verò quòd secundum aliquam sui partem, alii aliter, Ego tamen

DICO I. Omnes formæ substantiales, etiam cælorum & elementorum educuntur de potentia materiæ, solâ animâ rationali excepta. Hæc est Magni Divi Augustini pluribus in locis supra, ubi frequenter docet de materia informi totum mundum & cælos esse factos, est tamen alioquin inter Authores etiam communis quoad primam partem, quoad secundam contra D. Thomam & Thomistas, Scoti 2. d. 18. q. un. n. 4. Rabii Vasquez & Recentiorum passim.

Pro.

Probatur prima pars: Quia omnes formæ substantiales defacto existentes (de iis enim tota intelligitur controversia) in esse & fieri dependent à materia; ergo omnes formæ materiales educantur è materia; probatur consequentia: quia ideò colligitur à posteriori, quod anima non educatur de potentia materiae, quia inesse & conservari non dependet ab ea; ergo ex formæ quæ dependent ab ea, educantur de potentia ipsius, cum sint omnes materiales, corruptibiles & mortales, quales tamen non essent, si non dependere.

III. **Dices:** Non constare nobis, an animæ brutorum sint corruptibiles & mortales, magis quam animam rationalem; ergo hoc non est asserendum, & sic non omnes formæ educantur de potentia ejus; probatur aut. quia quando moritur canis, non scimus certò, an anima ejus desinat, vel in alium transeat locum. &c. Quòd quamvis non habeatur fundamentum efficax, & rationem naturalem planè convincens, tamen in hoc conjuravit unanimes Philosophorum consensus, cum ratione à posteriori & congruentia, ex qua colligitur, quòd cum formæ materiales substantiales sint productivæ accidentium materialium & sensu perceptibilem, in quo differunt ab anima rationali, quæ separata non potest talia accidentia producere, sequeretur formam ignis, quæ est productiva caloris & lucis, quòd quando separaretur, deberet illuminare & calefacere locum, per quem transiret: quòd est contra omnem experientiam. Sed

IV. **Dices:** Non posse ignis formam naturaliter operari extra subiectum, adeòq; sic transiens non illuminabit, nec calefaciet medium. Sed Contra, ergò naturaliter dependet à subiecto, ita quòd sine eo non possit suas exercere operationes, quòd est educi de potentia subiecti. Deinde plures censent, quòd sola forma ignis possit calefacere, & ad eam sustentandam tantum requiri materiam.

V. **Probatur Conclusio quoad** secundam partem de formis cælorum, materia prima est intrinseca pars cælorum, sed materia non est intrinseca pars ullius rei, nisi concurrat ad productionem ejus in genere causæ materialis; ergò sic concurrat, & consequenter non creatur, si non creatur, ergò educitur: probatur ma. Si cæli non constarent materiâ, tanquam intrinsecâ ejus parte componente, essent tam Physicè simplices, quam ipsa materia, sed &c. ergò: probatur sequela, illud est Physicè simplex, quòd non componitur ex partibus Physicis, sed &c. ergò.

VI. **Probatur eadem pars secundò:** Quia forma cæli dependet in esse & conservari à materia; ergò est educita de potentia ejus; probatur aut. Esset miraculum, si forma cæli produceretur vel conservaretur sine materia; ergò dependet in esse & conservari à materia; probatur consequentia, quia ideò conservatio accidentium in Eucharistia est miraculosa, quia illa dependet in conservari naturaliter à sub-

jecto, prout non conservantur tunc, & è contra ideò existentia animæ separatæ sine subiecto non est miraculosa, quia non dependet in conservari à corpore; ergò si conservatio formæ cæli est miraculosa, signum est, quòd dependeat à materia cæli veluti à causa.

Dices: Illam conservationem fore miraculosam, non quòd forma cæli dependeat à materia, sed quia Deus decrevit ipsam conservare dependentèr à materia seu in materia, quòd decretum non potest mutari sine miraculo, quale positum non est de anima rationali.

VII.

Sed Contra primò: Ergò ut forma cæli non possit esse sine materia naturaliter, necessarium fuit tale decretum, sed hoc non esset verum, si creatur, ergò: probatur mi. quia terminus creationis substantialis, quam maxime est talis, ut possit naturaliter conservari sine materia, ergò: probatur aut. quia quilibet effectus potest naturaliter conservari sine causa, à quâ nullo modo dependet naturaliter, sed formæ cæli secundum Adversarios non dependent naturaliter à materia; ergò secluso decreto Dei posset naturaliter, & ex natura sua conservari sine materia cæli, quòd est absurdum.

Contra secundò: Si Adam non peccasset, corpus humanum esset naturaliter incorruptibile propter decretum Dei sic ordinantis, & tamen ex hoc malè infertur, quòd forma substantialis non dependeat à materia, veluti à sua causa materiali.

Contra tertio: Unde constat, illud decretum, quòd Adversarii allegant, cum potius dicere deberent ideò cælos non esse naturaliter corruptibiles, quia Deus nullam produxit formam contrariam ipsis.

Probatur tertio pars Conclus. de Elementis, Formæ elementorum non sunt productivæ eadem actione, quâ materia elementorum, & dependent ab illa in fieri & conservari; ergò educuntur de potentia ejus, consequentia patet: probatur aut. quoad primam partem: Actio, quâ materia elementorum fuit producta, perseverat usq; modo, eadem etenim est actio, conservatio & productio; sed actio, quâ forma elementorum fuit producta, non perseverat usq; adhuc; ergò hæc non est eadem illi: probatur mi. multæ formæ elementorum fuerunt corruptæ per generationem mixtorum, ergò. &c.

VIII.

Ultima pars de anima rationali est indubitata: nam tam ex Scriptura quam Conciliis liquet, animam rationalem esse immortalè, adeòq; non dependet à materia, nec consequenter educitur & ratio à posteriori est: quia conservatur naturaliter sine corpore, & exercet suas operationes sine eo, ergò. Dixi autem in conclusione *formas substantiales*, & de iis processerunt etiam omnes probationes; an autem & quomodo educantur accidentales, dixi in Logica agendo de accidentibus.

Dices Contra secundam partem de formis cælorum & elementorum: In Sacra Scriptura

IX.

ptura habetur, quod cœli sint creati, ut patet ex illo Gen. I. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* & alibi sæpè similia verba inveniuntur, sed illud quod creatur, non educitur de potentia materiæ; ergo nec formæ cœlorum vel elementorum. Pro Responsione Nota: in Sacra Scriptura creationem multipliciter capi, primò enim accipitur pro omni eo, quod à solo Deo effectivè producitur, sive postea dependeat à materia, sive non, sic dicitur, quod masculum & feminam creavit eos, id est Adam & Evam, item creavit cœtegrandia &c. cum tamen non sit dubium, quod eos ex præexistente fecerit materia; secundo modo, ut etiam supra dixi, propriè pro eo, quod independentèr à materiæ concursu producitur ex nihilo sui & subjecti; unde R. dist. ma. In Sacra Scriptura habetur, quod Deus creaverit cœlum & terram, creatione propriè dictà, nego ma. creatione impropriè dictà, concedo ma. & mi. & nego consequentiam. Contra ultimam partem verò sic

X.
Argumen-
tum in con-
trarium.

Arguitur: Anima rationalis nunquam producitur extra materiam; ergo dependet à materia in fieri, & consequentèr educitur de potentia ejus. R. dist. consequ. ergo dependet à materia tanquam à causa efficiente Physicè & concausante, nego consequentiam: tanquam à conditione sine qua non produceret ipsam Deus, concedo consequentiam; Itaq; effectus à suis causis variè dependere possunt, nam aliqui dependent ab omnibus quatuor causis, ut compositum Physicum, alii à tribus tantum, sic forma dependet à finali, materiali & efficiente, alii à duabus tantum, finali scilicet & efficiente, & hoc modo dependent omnia ea, quæ habent esse per nudam creationem, verbi gratiâ, angeli & anima rationalis, hinc non dependet à materia veluti à causa causante, sed tantum veluti à conditione, verisimile enim est, quod non produceret eam, nisi propter compositum, & sic non produceret illam, nisi esset materia.

Instatur: Producens dispositionem ultimam ad aliquam formam, producit ipsam formam, sed homo producit dispositionem ultimam; ergo etiam ipsam animam veluti causa concausans, & consequentèr educitur de potentia materiæ. R. I. negando ma. quia aliàs calor, qui in igne generante ignem producit calorem in ligno ultimèr disponentem ad formam ignis, produceret ipsam formam ignis, quod tamen haud quaquam contingit, cum nulum accidens producat substantiam, ut infra dicitur. R. 2. dist. ma. quando forma, & ejus dispositio æqualitèr continentur in virtute agentis, concedo ma. quando non continentur, nego ma. Itaq; in proposito anima rationalis non continetur in virtute agentis creati, sed solius Dei, quia nullum materiale potest continere aliquid spirituale in sua activitate producendo illud.

Urgetur: Phantasma est quid materiale, sed phantasma concurret ad productionem speciei intelligibilis, quæ est spiritualis; ergo non implicat, quin aliquod materiale possit in sua virtute activa continere aliquid spirituale. R. dist. minorem, concurret ad productionem

effectivè Physicè, nego mi. intentionalitèr, idèr minùs principalitèr, concedo minorem, & nego consequentiam. Deinde est adhuc alia disparitas inter phantasma & animam rationalem, quia hæc simpliciter petit creari, non verò phantasma, adeoq; minùs potest contineri in virtute agentis.

Dico 2. Formæ substantiales quæ educuntur de potentia materiæ, neg. secundum se totas, neg. secundum partem sui, neg. secundum esse inchoatum & imperfectum, præferunt in materia ante generationem. Hæc est Scoti 2. d. 18. q. 1. D. Thomæ Henriquez, Connimb. &c.

Probatur Conclusio primò, quoad primam partem: Quia si formæ præexistèrent in materia secundum se totas, nihil de novo generaretur, sed hoc est contra experientiam & rationem, ergo: probatur sequela ma. Quia in tantum aliquid de novo generatur, in quantum agens naturale, in materiam novam inducit formam substantialem, sed hic nullam posset introducere, quia jam esset actu & formalitèr inducta, ergo: probatur mi. quia nihil existens alicubi manens tale, ibi reproduci potest, ergo.

Probatur secundò eadem pars: Quia hinc sequeretur, quod materia eadem, haberet infinitas formas simul, & plurimas incompossibiles, verbi gratiâ, formam ignis, ligni, aquæ, &c. quod dici nequit, ergo.

Probatur secunda pars primò: Quia vel illa pars formæ existens antecedentèr ad generationem in materia, vel præsupponebat aliam partem vel nullam, si primum, dabitur processus in infinitum, quia iterum petam, an illa præsupponebat aliam partem vel nullam, &c. si dicatur secundum, sequitur, quod illa pars non fuerit ante generationem, vel qualibet pars præfuit, quia non est major ratio de una ac de alia, imò si aliqua pars præfuit, jam fuit tota forma cum in qualibet parte salvetur ratio formalis formæ, quæ intensivè non est divisibilis; ergo si secundum aliquam partem concedatur præfuisse, concedi debet paritèr, quod tota præfuerit.

Probatur secundò eadem pars: sequeretur, si forma etiam secundum partem præexistisset in materia, quod in ea essent tot composita, quot sunt formæ partiales possibiles in ea, sed hoc est inconvenientissimum, ergo: probatur sequela ma. quia materia cum qualibet forma facit unum per se, ergo. Confirmatur, quia sequeretur, quod formæ substantiales intenderentur, sed hoc est absurdum, ergo: probatur sequela, quia tunc dicitur forma intendi, quando habet plures partes in eadem parte subiecti, sed hic haberet, ergo: probatur mi. quia materia haberet primò unam partem formæ ex supposito, & per generationem alia produceretur in eadem materia; ergo haberet plures partes, similiter dici posset, quod in corruptione nulla forma desineret, sed tantum remitteretur.

Probatur ultima pars: Quia illud esse inchoatum & imperfectum, non esset nisi esse

esse totale vel partiale, sed nec partiale, nec totale esse habuerunt antecedentes; ergo nec secundum imperfectum vel inchoatum esse, præfieri in materia. Sed pro secunda parte in contrarium

& causæ materialis; ergo subsumo, sed agentia producunt formas substantiales, quia ignis A, verbi gratiâ, producit in ligno ignem B, ut patet.

Dices: Ignem solas producere dispositiones ad formam ignis, ipsa autem forma producitur ab agentibus & substantiis universalibus. Contra 1. Non dantur tales substantiæ uniuersales & idææ Platonice, ut dictum est in Logica. Contra 2. Eodem modo, quo ipsis adscribitur productio formæ ignis, potest etiam ipsis adscribi productio dispositionum, & sic nullum agens producat aliquid contra manifestam experientiam, & consequenter tollitur etiam omnis activitas causarum naturalium.

Probatur Conclusio secundò: xvii.

Quia omnis causa realiter influens in effectum ipsum, virtualiter continet, nihil enim aliud est sic continere, quam posse influere in aliud, seu posse concurrere ad eius productionem, & non per modum conditionis, dispositionis vel applicationis, sed verè per modum causæ, in quo præcisè distinguitur causalitas materiæ respectu animæ rationalis, & aliarum formarum substantialium, quia respectu animæ rationalis est tantum conditio, & respectu aliorum vera est causa. Sed

Dices: Si forma dicatur educi de potentia materiæ, quia dependet à materia in genere causæ materialis; ergo eodem modo dici potest, quòd materia educatur de potentia formæ, quia dependet à forma in genere causæ formalis. R. negando consequentiam: quia materia non dependet à forma in fieri, quia est terminus creationis, quamvis dependeat ab ea in esse aliquo modo, forma autem in fieri, & in esse dependet à materia. Deinde materia est prior formæ; ergo non potest ab ea descendere veluti ab aliqua causa influente esse in illam.

QUÆSTIO III.

Quid sit educi formam de potentia materia?

Parum omninò esse mihi videtur scire, I.

quòd & quæ formæ educantur ex materia, nisi etiam sciatur, quid sit sic educi? ad quod explicandum, diversi modi ab Authoribus sunt excogitati, nam aliqui dicunt formam educi de potentia materiæ, aliud non esse, quàm educi de potentia agentium naturalium materialium, ita Gerardus de Odonis &c. alii verò volunt educi, nihil aliud esse, quàm produci de potentia proxima & particulari, quæ est qualitas quædam ultimæ disponens materiam ad recipiendam formam; Ita Raguleus &c. Alii autem ajunt, educationem aliud non esse, quàm actionem eandem, quæ simul producitur forma ex materia & compositum, ita Suarez, quem plerumque sequuntur: Alii iterum, quòd educio nihil aliud sit, quàm dependentia formæ in fieri & conservari à materia, ita Fuentes &c. Alii deniq; dicunt educationem, esse productionem formæ cum dependentia à materia prius tempore existente, ita Connimb. quos etiam multi sequuntur: alii tandem, quòd educio nihil aliud

I.

Parvus modus explicandi educationem.

Opponitur Authoritas tum S. Augustini 3. Trinit. I. ubi ait: *Omnium, quæ generantur oculta quædam semina in mundi elementis late-re;* tum Philosophi 7. Met. qui dicit: *in materia esse aliquam partem rei faciendæ:* item 1. Physicorum docet: *ex quolibet non fieri quodlibet, sed ex determinato subiecto determinata res,* sed hujus non potest assignari alia ratio, nisi quòd indeterminato subiecto sit pars determinatæ formæ. R. D. Augustinum, per semina non intelligere partes formarum, sed facultates & virtutes causarum naturalium agentium & patientium. Ad Philosophum primo loco citatum, dico, ipsum loqui de materia secunda, seu composito, & sensus est, quòd in composito destruyendo sit aliqua pars rei faciendæ, & hæc est materia prima. Ad secundum, nego minorem, cur autem potius una quàm alia introducatur forma inde provenit, quia determinatur per agens intrinsecum, quòd introducit tales, & tales dispositiones, ad quas hæc vel illa forma potest sequi. Sed ex ratione

Instatur: Si formæ non præfuisent secundum aliquam partem, tunc non producerentur ex nihilo, sed omne tale creatur; ergo si materiæ secundum partem non præfuisent, sequeretur, quòd crearetur, ad quòd evitandum, potius dicendum erit, quòd secundum aliquam partem præfuisent. R. dist. ma. producerentur ex nihilo sui, concedo ma. ex nihilo subiecti, nego ma. & minorem, quia ad hoc, ut aliquid dicatur creari, debet produci ex nihilo sui & subiecti, quòd hic non est. Deinde illa pars formæ, quæ antecedenter præfuit, verè fuisset creata: si sufficeret, quòd ex nihilo sui produceretur, ut aliquid creetur. Deniq; quæro, an ista pars iterum præsupposuit aliam? si non; ergo nec requiritur ad totam formam.

Urgetur: Nihil educitur ex aliquo, in quo ante non fuit; ergo si ex materia educitur forma, debuit secundum aliquid fuisse, si non; ergo manet adhuc, quòd creetur. Sed R. dist. ant. In quo ante non fuit actu & formaliter, nego ant. virtualiter & potentialiter, concedo ant. & nego utramq; consequentiam: forma autem fuit in materia virtualiter & potentialiter, sicut etiam in virtute efficientis: unde

Dico 3. Formæ quæ educuntur de potentia materia, virtualiter continentur in ipsa, veluti in causa materiali ipsarum.

Probatur Conclusio primò: Quia si non continentur aliquo modo in materia, non producerentur de potentia ipsius, ut patet ex ratione educationis, sed hoc est falsum, quia tunc omnis forma substantialis crearetur, & nulla generaretur, in hoc enim distinguitur forma creata à generata, quòd hæc educatur de potentia materiæ, non verò illa. Deinde si non educerentur de potentia materiæ, tunc fierent ex nihilo, sed nullum agens naturale potest producere aliquid ex nihilo sine concursu subiecti

aliud sit, quam productio formæ à materia, cum dependentia ejusdem in fieri ab ea: ita Pontius, aliter. Qui tamen omnes modi explicandi patiuntur difficultatem; unde

II. *Non bene explicatur per illos.*
Dico I. Per nullum ex prædictis modis, explicatur beneeductio formæ de potentia materiæ.

Probatur Conclusio, quoad singulas partes, & primò quidem contra primùm dicendi modum; Quia secundùm hunc dicendi modum,eductio semper deberet attendi penes agens naturale, sed hoc dici non potest, ergò: probatur mi. tum quia liceteductio secundum Erymon significet actionem causæ efficientis, nihilominus significat etiam actionem subjecti, quæ importatur per *to E vel Ex*, sicut importatur actio causæ efficientis per *ly ductio*, tum quia Deus educere potest formam de potentia materiæ, & tamen Deus non est agens naturale, ergò. Probatur etiam contra Raguseum, quia vel intelligit per potentiam proximam de genere qualitatis, ultimam dispositionem, quâ posita, Cælum vel Universalis causa inducat in materiam formam, & sic coincidit cum sententia Platonis, qui admittit substantias datrices formarum, vel intelligit, quòd ipsa qualitas concurrat materialitèr ad productionem formæ, quod etiam implicat: quia nulla qualitas effectivè concurrere potest ad productionem substantiæ, imò forma cum illa qualitate deberet facere unum per se, quia verè in ea reciperetur & ab ea sustentaretur: quæ sunt inconvenientia, ergò. Nec valet deinde tertia via, quæ gratis omnino & superflue multiplicat actiones, quæ planè impertinentes sunt: nam si per impossibile non fieret compositum eadem actione, sed diversa: si tamen dependeret à materia comprobante & sustentante, adhuc educeretur de potentia ejus, si verò non dependeret, licet eadem actione produceretur, ipsa & composita, adhuc non educeretur. Deinde forma est causa compositi; ergò implicat, quòd eadem actione ipsa sit & compositum, cum præsupponatur ad compositum. Iterum forma est terminus formalis, qui generationis per se; ergò per se actione aliqua acquireretur & non tantùm comproduceretur, & quamvis aliquando comproduceretur, id tamen intelligendum est de productione illa per quam res accipit esse, sive per se & simpliciter, sive in alio, non verò pro productione, in qua res transit ad esse à non esse simpliciter.

Probatur Conclusio quartò, contra sententiam & opinionem Fuentes, tum quia quantitas Eucharistica educitur de potentia panis in prima ejus productione, quæ utiq; non creatur, & tamen non dependet in conservari, tum quia hinc sequeretur, quòd nulla forma educeretur de potentia materiæ, quod est falsum, ergò: probo sequelam, quia nunquam verum est dicere, quòd forma dependeat in fieri & conservari à materia; ergò nunquam educeretur: probatur ant. quia nunquam sunt simul, ergò: probatur ant. quia productio est in primo instanti, non sic conservatio, ergò: probatur consequentia, quia alioquin sequeretur, quòd nulla esset creatio, quod est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia si creatio est con-

servatio, nulla adhuc est conservatio tota; ergò nec aliqua creatio.

III. De Forma Substantiali.

Probatur Conclusio contra Connimb. tum quia in causa efficiente non requiritur præexistentia temporis; ergò nec in causa materiali, ob omnimodam paritatem: tum quia licet nunc & defacto, requiratur prævia alteratio, quæ temporis instantiam requirit ad introducendam formam, id tamen absolute non est necessarium, quia si Deus crearet materiam, verbi gratia, aërem in toto hoc hemisphærio, & sol esset in cursu suo in eodem circulo eodem instanti, quo crearet Deus aërem sol cum illuminaret, & tamen tunc lux & lumen à sole produceretur in aëre de potentia ejus. Contra sextam deniq; opinionem, quæ à quarta recedit in eo, quòd non requirit conservativam dependentiam à materia, sed solam productionem, sic probatur conclusio, quia per hunc dicendi modumeductio non distinguitur à creatione; ergò non bene explicatur per eum; patet consequentia, quia malè aliquid definitur per illud, quod alteri convenire potest: probatur ant. quia anima rationalis produceretur dependentèr à corpore veluti à materia, sed anima creatur; ergò educationis explicatio convenit cum creatione, seu non distinguitur à creatione; patet ma. quia anima rationalis nunquam produceretur nisi corpore debite organizato, ergò.

Dices: Anima rationalis potest per se produci independentèr à corpore, adeoq; per hoc sufficientèr distinguitur ab educatione. R. quòd etiam animæ brutorum possint per se produci independentèr à corpore, & omnes formæ substantiales independentèr à materia, & tamen adhuc educuntur ab ea, unde, licet anima absolute possit produci extra corpus, non tamen connaturalitèr.

Instabis: Animam tantùm dependere à corpore veluti à conditione, non tamen tantùm à causa. Sed Contra I. Ergò hoc addendum fuit in explicandi modo. Secundo, quia causalitas materialis respectu formarum aliter non explicatur, nisi per dependentiam; ergò si anima habet dependentiam ad corpus, habebit causalitatem respectu animæ.

Dico 2. Formas esse educibiles de potentia materiæ nihil aliud est, quam posse fieri connaturalitèr à subjecto sustentativo & educi illa dicuntur, quæ sunt a subjecto connaturalitèr sustentante & educitæ esse, quæ scilicet sunt à subjecto connaturalitèr exigente eas sustentare. Hæc non sic fuit ante proposita.

Probatur tamen primò, tum ex refutatione aliarum sententiarum: tum quia non potest alius levior & facilior modus explicari, ut patet examinanti reliquos omnes: tum quia per hunc vitantur omnia inconvenientia, quæ ex superioribus modis sequebantur, & in primis declaratur, animam rationalem non esse educibilem de potentia materiæ vel corporis, quia non fit dependentèr à subjecto sustentativo ejus, licet sit subjectum receptivum illius, nam anima nunquam est sustentabilis à corpore, ex eo quòd habeat perfectam substantiam ex se, ut patet de separata: Deinde explicatur etiam

etiam per alteram partem, quomodo, si Deus immediatè & propriè, per actionem creativam produceret formam vel animam leonis, independentè à materia, quod fieri non implicat, & eam postmodum uniret materiae subtrahendo suum extraordinarium concursum, quo ipsam produxit: ita ut actu nunc à materia dependet, adhuc non educetur de potentia ipsius, licet ab ea nunc dependeat, quia non fit à subiecto sustentante. Deniq; per ultimam partem ostenditur, accidentia Eucharistica esse educta de potentia materiae, quia licet actu non sustententur ab ea, nihilominus materia connaturalitèr exigit ea sustentare, & illa connaturalitèr percuti sustentari. Habitus deniq; supernaturales non educuntur, quia non sunt connaturalitèr dependentèr à tali subiecto sustentante, cum prius natura sint producti, quam in materia ponantur.

VI. **Arguitur:** Si educi de potentia materiae aliud non est, quam produci à subiecto sustentante, sequeretur, quòd materia educeretur, sed hoc est inauditum; ergò: probatur, quia materia tamen bene sustentatur à forma, quam forma à materia, ergò. & negando sequelam, cum sua probatione, quia materia non sustentatur à forma, cum habeat propriam substantiam & existentiam distinctam, ab existentia formae, deinde licet etiam extrinsecè aliquatèr, & connaturalitèr ab ea dependeat, non tamen veluti à subiecto, omnis autè eductio habetur à subiecto, deniq; non fit dependentèr à forma, cum prius forma creetur, quae prioritas facit, ut à forma nullam habeat dependentiam veluti à sustentante.

QUAESTIO IV.

An in eodem composito naturali dentur plures formae subordinatae? seu, quod idem est, an datur forma corporeitatis?

I. **Questio** haec inter celebriores & controversiores in Scholis realibus una est, & sensus eius est, utrum in viventibus, praeter animam, quae est ultimata forma viventis, ratione cuius ponitur in determinata aliqua specie, datur adhuc alia forma substantialis, quae sit incompleta adhuc & subordinata alteri, quae vivens ultimata constituit & complet, & in hoc sensu duplex est sententia è diametro sibi contraria, dico in hoc sensu, quia olim fuit tertia aliqua Auctore Avicenna, quae in omnibus omnino corporibus, sive compositis & mixtis, sive simplicibus, animatis & inanimatis ponebat aliquam formam Physicam, specie ab aliis distinctam, cuius munus erat, tribuere composito substantiali esse corporeum; sed haec nunc omnibus odiosa sunt. Prima sententia, quae nunc celebris est, negativa est Divi Thomae 2. de Anima t. 4. Cajetani, Capreoli, Suarez, Averla & totius Scholae Thomisticae, qui omnes uno ore negant, dari in viventibus formam subordinatam animae, quae sit corporeitatis. Altera sententia est, Affirmativa & Scoti 4. d. 11. q. 3. n. 29. Richardus F. Amandi Hiermann Physica.

Majornius, Ant. Andreas, Cavellus, Faber, Zabarella, Maftrius, Morifanus, Raguseus, Mercen. Pontius, uno verbo omnes Scotistae & plures Recentiores, tum ex Jesuitis Dondinus, Conning, Tanner, Murcia, Lalemandetus, ita ut Comptonius fateatur, hanc sententiam maxime inter omnes invaluisse, ut proinde vel ex sinistro affectu & cavillandi libidine, vel ex inconsideratione dicat Arriaga disp. 3. Phys. Sect. 6. sub Sect. 1. Nullum in Hispania eam defendere, nec ex professo oppugnare, in Italia pauci in his partibus (id est Germaniae) varissimi, in quibus ergò Scholis, inquit Hispano supercilio, invaluit? Sed vel inconsiderate, vel invidiose ista dixit, nam in duabus florentissimis Academicis, Salmanticensi & Complutensi, ipsa tuetur & defenditur doctrina Scoti, ut prior decreto veterit, ne Doctores sui aliquid extraneum sententiae Scoti insererent, in Italia si vidisset Ticinum Patavium, & alias Universitates, ubiq; huius sententiae propugnatores & defensores deprehendisset, ita ut Bannes dicat 1. de Generat. q. 8. Quorū Theologi & Physici, & Metaphysici sunt, contra Divum Thomam conjurasse, videntur; Maftrius verò clarè deducit Disp. 5. de generatione q. 3. a. 1. Ex quatuor Philosophicis Scholis Averroistarum, Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium tres fere nostram sententiam sectantur, & petit Arriaga in quibus Scholis invaluit. Audiat etiam de hac opinione Thomas Argent. qui ait: Ita est opinio omnium Doctorum de Anglia, & aliquorum Parisiensium, & tamen audeo dicere, eam non invaluisse, sed haec paulò fufius, quam intenderam; ad rem ipsam procedendo resolutivè respondeo ad quaestionem &

Dico: In viventibus datur forma subordinata, seu in animatu praeter animam datur forma corporeitatis. Haec est verè in Scholis celebris sententia, & apud Scotistas universalissimè recepta, & à pluribus aliis tam saecularibus, quam Ecclesiasticis, ut patet ex paulò ante dictis.

II. Datur forma corporeitatis.

Probatur itaque Conclusio primò Authoritate Sanctorum Doctorum nostrorum; Divi Augustini tract. 49. in Joannem; ubi ait: Resuscitavit (Dominus) putentem Lazarum, sed tamen in putente cadavere, erat forma membrorum; & lib. de vera Religione cap. 11. Corpus habet aliquam speciem (id est formam) sine qua corpus non est, & lib. 2. Soliloq. cap. 18. dicit: Corpus aliqua forma & specie continetur, quam si non haberet, corpus non esset, si veram (id est animatam) animus esset lib. de Immort. 8. ait: Corpori non potest accidere, ut etiam ea specie privetur, quae corpus est. Item lib. 3. Trinit. cap. 2. inquit: Et certe in corpore humano, quaedam moles carnis & forma species, & ordo; distinctioq; membrorum; & temperatio valetudinis; hoc corpus inspirata anima regit, eademq; rationalis; ergò materia prima non accipit esse corporis; carnis, &c; per animam rationalem; sed hoc esse ab aliquo alio habet; consequenter datur forma corporeitatis constituens materiam primò in



gradu corporis, quod inspirata anima postmodum regit, & vivificat. Et Divi Bernardi sermone 81. ubi ait: *Unde liquet nec vivo corpori id vivere esse, quod esse cum esse possit & minime vivere possit*; ergo ex mente Divi Bernardi corpus non accipit esse corporis per animam, quam in eodem sermone vocat vitam & rationem vivendi, & consequenter datur forma corporeitatis, quam non acquirit per animam; Et infra de compositione hominis ex anima & corpore loquens dicit: *Neg. enim unum simplex est quæq; harum, sed ex pluribus constans, & propterea non redigitur in nihilum, sed distat in partes, ut ad suum quodq; recurvat principium &c.* ergo in morte viventis cuiuscunq; non fit resolutio usq; ad materiam primam, sed manent adhuc partes, quæ ante fuerunt: ubi autem non fit resolutio usq; ad materiam primam, ibi datur forma corporeitatis; ergo ex mente S. Bernardi admittenda est etiam forma corporeitatis.

III. Probatur Conclusio secundo:

Authoritate Aristotelis, qui 2. de Anima cap. 1. ait: *Anima & corpus est animal* & 4. Ethicorum cap. 4. docet: *animam magis esse partem animalis, quam corpus*, sed hoc male ab Aristotele diceretur, si non daretur forma corporeitatis; ergo datur; probatur minor, quia si non est ulla, tunc in primo loco, tunc bis animam dixisset semel in se, & semel in toto corpore; in secundo loco quoq; errasset Philosophus, quia si corpus involvit animam, tunc non potest anima magis esse pars animalis, nisi sit magis animal se ipsa.

Ex his autoritatibus, tam Aristotelis, quam Sanctorum Patrum, desumo argumentum ad probandam Conclusionem ratione 1. In omnibus viventibus debet dari aliqua forma, quæ constituat & componat corpus veluti alteram partem viventis, sed hæc forma non potest esse anima; ergo præter animam debet alia forma admitti, quæ dicitur corporeitatis, quia corpus constituit: probatur mi. Si anima daret esse corpus in viventibus, deberet id etiam facere in homine, sed in homine hoc facere negant, ergo: probatur mi. Nullum spirituale potest alicui dare esse corporeum, sed anima hominis est spiritualis; ergo anima non potest dare esse corporeum; ergo nec in aliis; probatur major, quia nemo dat, quod non habet, sed anima nihil habet corporeum; ergo non potest etiam dare esse corporeum. Confirmatur primò: Anima rationalis non potest dare esse corporis Mathematici; ergo nec esse corporis Physici, ab omnimoda paritate: probatur ant. corpus Mathematicum debet necessarium esse quantum, sed anima non potest dare esse quantum, ergo. Confirmatur secundo: Nullus actus Physicus potest habere aliquid potentie Physicæ, sicut nec ulla potentia, aliquid actus Physici, sed anima est actus Physicus; ergo non potest aliquid habere potentie Physicæ, sed subjectum & corpus est potentia Physica; ergo anima nihil corporis habere potest.

Dices: Animam quidem nihil habere formaliter corporis, bene tamen virtualiter. Sed Contra: Nulla forma potest continere virtualiter sibi oppositum, & facere illud formaliter, sed corpus est formaliter oppositum spiritui; ergo anima non poterit continere illud; probatur ma. quia nihil potest subiecto tribuere dispositiones ad formas oppositas, verbi gratia, forma aquæ recepta in materia, non potest ei tribuere dispositionem ad ignem vel lapidem, ergo. Contra secundo: Si anima facit cum materia corpus, sive in se formaliter corporea, sive non, sequeretur, quòd in corpore humano quælibet pars deberet esse quodlibet, sed hoc est inconveniens; ergo probatur sequela, quòd caput deberent esse pedes, oculi, manus, aures, venter &c. ergo: probatur ant. ibi est aliquid, ubi eius est materia & forma, sed materia & forma capitis est in pede, & forma ac materia oculi in manibus; ergo sequeretur, quòd pes sit caput, oculi manus, ergo: probatur ant. in capite secundum Adversarios, non est aliud, quam materia prima & anima, sed materia prima & anima capitis est in pede, tanquam partes constituentes; ergo caput erit pes &c.

Dices: Organa in corpore humano non differre substantialiter, sed tantum accidentaliter ob diversitatem accidentium, sed Contra primò: Accidentia non constituunt per se aliquod totum Physicum, aliàs ubi cunq; essent accidentia, infallibiliter deberent esse composita Physica. Contra secundo: Illas, quæ non differunt nisi accidentaliter, non possunt producere effectus substantiales diversos ab illis, à quibus non nisi accidentaliter differunt, sed organa in corpore humano aliqua habent principium producendi aliquos effectus substantiales, quos non possunt producere alia; ergo non tantum accidentaliter, sed etiam substantialiter debent differre; probatur minor, quia vis generativa est in lumbis, ut nunc suppono, quæ non est in oculo, vis nutritiva est in carne, quæ non est in osse; ergo lumbi & oculus, potentia nutritiva & os debent differre non accidentaliter tantum, sed etiam substantialiter, sed non differunt per animam; ergo per aliam, quam dico esse formam corporeitatis.

Probatur Conclusio secundo:

In homine datur alia forma præter animam, sed talis alia non erit, quam forma corporeitatis; ergo datur talis; probatur ma. datur in homine aliquid, quod exigit primas qualitates, sed hoc non potest esse nisi aliqua forma substantialis; ergo: probatur major, cor in corpore humano exigit determinatum calorem, ponamus ut quinq; vel sex, sed ista exigentia non potest aliunde esse, quam à forma substantiali, ergo: probatur minor, tum quia materia non potest exigere istum calorem, & minus in tali, & determinato gradu, cum ipsa sit indifferens ad omnes qualitates & omnes earum gradus; tum quia nec

nec quantitas ob eandem indifferentiam: tum nec qualitas ulla, quia qualitas ad quam sequitur alia debet esse prior illa, sed in corde non potest assignari alia qualitas prior calore, quia ipsa est prima qualitas, nec dici potest, quod hoc exigant alii gradus caloris, quia tales vel sunt remissiores, vel intensiores, vel aequales: si sunt remissiores, non possunt exigere alios, quia nullum imperfectius exigit perfectius: si sunt intensiores, quia illi iam continentur in quocumque gradu majori caloris: si aequales, tunc debent esse in eo subiecto duae qualitates solo numero differentes, quod implicat. Nec denique anima potest hoc exigere, quia hoc debet fieri conjuncta, sed conjuncta non potest hoc exigere, quia tunc conjunctio praecederet cor, quod tamen dici nequit, quia supponitur, quod anima non possit informare nisi cor, & quod cor non possit esse sine calore. Deinde anima etiam non exigit calorem magis, quam alias qualitates, & minus in tam determinato gradu, quia informat plures partes, quae non sunt sic calidae; Neque dicas animam exigere tantum istos gradus quoad operationes, quia statim sequeretur, quod deficiente isto calore, deficerent tantum operationes, non vero informatio, quod est falsum.

VII. Probatur Conclusio tertio:

In corpore mortui, eadem manent numero accidentia, quae fuerant in vivo, ut patet; ergo manet idem subiectum; probatur aut. tum quia sicut ipsi fateantur Adversarii, accidentia non migrant de subiecto in subiectum, tum quia videmus, quod in mortuo eadem longitudo, latitudo, figura, albedo &c. eadem viriditas in ramo abscisso, eadem virtus in herba vivente & mortua seu arida, sed hoc est & falsum, si non maneret idem subiectum; ergo eadem accidentia sunt in vivo & mortuo; ergo ulterius etiam idem subiectum. Deinde quaero ab Adversariis, an vulnera & cicatrices, quae in occiso apparent, sint illa, quae fuerunt in vivo vel non? si secundum, quaero iterum, an si Titius Moevio inflisisset duo vulnera lethalia, ex quibus Moevius paulo post moreretur, an Titius juramento coram legitimo iudice affirmare possit, se Moevio illa duo vulnera non inflisisse, si sic, certe aperiretur aditus ad quaecumque latrocinia & homicidia perpetranda, absque eo quod puniri poterant, licet deprehendantur, imò ad iuramenta falsa facienda, quae sunt valde piarum aurium offensiva: si non poterit affirmare, se illa vulnera non inflisisse; ergo remanent eadem vulnera in mortuo, quae erant in vivo, & consequenter, si manent eadem accidentia, manet etiam idem subiectum.

VIII. Dices: Non esse eadem accidentia, sed similia de novo producta, unde sensus, dum putat esse similia, decipitur. Sed Contra 1. Videtur contra sensum sanum esse, asserere, quod sensus decipiatur, cum nulla possit assignari ratio, quare dicatur decipi. Contra 2. Quia non est assignabilis causa productiva illorum
F. Amandi Hermann Physica.

accidentium, ergo: probatur aut. quia non est Titius interficiens, nec gladius penetrans, nec laqueus suffocans, &c. ergo; quod ulterius confirmatur ex ramo & pomo, in quo manent eadem prorsus qualitates, ut dulcedo, rubedo &c.

Dices: Ad introductionem formae corporeitatis, introduci etiam accidentia illa, nam in instanti quo animal moritur, sequitur forma cadaveris, quae dat iterum esse apparenter oculis, naribus, auribus & ad formam introductam illam, tunc causa universalis producit illa accidentia. Sed Contra videtur inconceptibile, quomodo natura tanto tempore laborare debeat, ut paulatim, & successivè introducat formam ossis, arteriarum cartilaginum, ad informationem & animam introducendam; ergo falsum erit, quod gignantur in instanti; dicere autem, quod causa universalis producat illam formam cadaveris, & omnia accidentia, est primò contra bonum Philosophum, quod illuc recurrat in effectibus quotidianis; deinde causa universalis non est magis determinata ad haec potius accidentia producenda, quam alia, nisi determinetur ab aliqua causa secunda particulari, quae tamen non est assignabilis.

Instabis: Determinari ad haec accidentia per accidentia similia, quae praeservant. Contrahi accidentia praesistentia determinarent ad similia producenda, semper in composito genito deberent esse eadem accidentia in genito, quae fuerunt in corrupto, quod tamen falsum est. Nec valet dicere, non semper debere esse accidentia similia, sed tantum quando illud genitum non petit dissimilia, non valet inquam, quia cadaver cum sit substantia distinctissima rationis ab homine, petit dissimilia accidentia, non minus quam ignis genitus ex ligno; ergo debent admitti eandem formam in genito, quae fuerat in corrupto.

Huc usque probavi conclusionem argumentis Philosophicis, probo nunc etiam Theologicis & Primò sic: Si non daretur forma corporeitatis in homine realiter distincta ab anima, sequeretur, quod corpus Christi in sepulchro non esset idem, quod de Virgine natum est, & sic idem corpus Christi vivum & mortuum, esset numero & specie distinctum, quia forma cadaveris distinguitur specie ab anima, sed hoc est contra Sanctos Patres Athanasium, Gregorium, Augustinum & signanter, D. Ambrosium sic loquentem, ut refertur dist. secunda de consecratione. *idem corpus est quod de Virgine sumptum, quod passum & sepultum, quod resurrexit & in caelum ascendit;* ergo probatur sequela, tunc non manet eadem substantia, quando non manet eadem forma substantialis, sed secundum Adversarios forma substantialis constitutiva corporis est sola anima, & haec non manit in sepulchro, ut fides docet; ergo nec manit idem corpus.

IX.

X.

Probatur Conclusio etiam argumentis Theologicis.



Confirmatur, tum quia sequeretur, quòd Corpus Christi vidisset corruptionem, Sacra Scriptura repugnante, quae dicit Psalmo 16. *Non dabo sanctum tuum videre corruptionem, & Act. 2. caro ejus corruptionem non vidit*: quia illud corrumpitur, quòd in aliud compositum transit accedente novà forma substantiali & manente eadem materia, sed hoc in praesenti casu contingeret; ergò Corpus Christi vidisset corruptionem: tum quia sequeretur, quòd aq; posset dici: Verbum assumpsisse montem vel lapidem, sicut dicitur, quòd sustentaverit formam corporeitatis; probatur sequela, quia cadaver in tantum differt à natura humana, quantum differt mons vel lapis, cum aliam & aliam aq; habeat formam substantialem, & tantummodo in materia communicent, quae omnia sunt absurda.

XI.

Dices: Corpus Christi vivum, mortuum, & sepultum mansisse idem non formaliter, seu quoad formam, quia mortuum habuit formam cadaveris, sed supposititaliter, quatenus illud corpus, quod fuit sepultum, suppositabatur eadem supposititalitate verbi aeterni, quae suppositabatur corpus vivum Christi, quod erat natum de Virgine. **Sed Contra 1.** Si verbum assumeret aliam naturam humanam, non posset dici, simpliciter idem Christus, qui defacto est, nec posset dici simpliciter, quòd habeat eandem humanitatem, aut animam, aut idem corpus, & tamen supposititaliter posset dici idem; ergò, ut dicatur idem corpus Christi sepultum, quod fuit natum, non sufficit, dicere esse idem supposititaliter. **Contra 2.** Falsum est, illud corpus, quod fuit sepultum, fuisse assumptum à verbo; ergò non esset idem supposititaliter cum corpore, quod fuit natum de Virgine: probatur aut. quia verbum defacto non assumpsit, nisi humanitatem Christi & spectantia ad illam, vel tanquam partes, vel tanquam proprietates, vel tanquam accidentia, sed illud corpus sepultum, & constitutum per formam cadaveris, non spectabat ad humanitatem Christi nullà ratione. **Contra 3.** Quod verbum Divinum assumpsit, nunquam divisit; ergò si assumpsit formam cadaveris, illam non divisit, & consequenter Christus adhuc habet formam cadaveris, quod est inauditum.

XII.

Probatur Conclusio altero argumento Theologico: Si in triduo mortis Christi aliquis Discipulorum consecrasset panem, posuisset sub illis speciebus corpus Christi; sed hoc esset falsum, si corpus non diceret formam substantialem distinctam ab anima, ergò: probatur minor, quia non poneretur tunc corpus, quatenus est constitutum per animam, quia aliàs reduceretur Christus consecratione ad vitam; ergò quatenus corpus est constitutum per aliam formam, sed non est alia quam forma corporeitatis.

XIII.

Dices: In illo casu poni corpus in quantum est constitutum per accidentia. **Sed Contra**: Illud corpus, quod per consecrationem sub speciebus ponitur, debet esse substantiale: hoc autem non esset substantiale, sed acciden-

talē, ergò. Deinde corpus hęc positum, deberet constituere iterum Christum hominem cum anima, sed accidentia non possunt constituere cum anima hominem, ergò.

Probatur tertio Conclusio, XIV.

ex Theologico principio, praescedendo à priori casu de triduo mortis Christi, sic: secundum Concilium Trident. Sess. 13. cap. 3. Per verba consecrationis panis ponitur tantummodo corpus Christi per se, & anima solummodo per concomitantiam, verba Concilii sunt: *sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum; ipsam autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraq; vi naturali illius connexionis & concomitantiae, quae partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur*: sed haec Sacro Sancti Concilii definitio, & determinatio vera non esset, neq; de fide, si corpus constitueretur per animam & non potius per aliam formam; ergò: probatur minor, quia tunc deberet anima poni vi verborum sub specie panis, sed non poneretur; ergò definitio non esset vera: probatur sequela, quia vi verborum sub specie panis poni debet, quiddam ingreditur formalem constitutionem corporis, sed anima secundum ipsos ingreditur formalem constitutionem; ergò vi verborum deberet ibi poni.

Dices I. Animam poni sub speciebus XV.

panis, non quatenus dicit rationem formalem viventis aut animalis, sed tantum in quantum tribuit gradum Metaphysicum corpori; sed **Contra** Concilium Tridentinum dicit: *ibi animam poni sub specie panis propter unionem partium inter se, ut legenti patet, sed quatenus tribuit gradum Metaphysicum corporis, non est unita, sed identificata, ergò.*

Dices 2. Per corpus in Concilio XVI.

signatum intelligi materiam primam, non vero aliquam aliam substantiam; sed **Contra**: Illud ponitur sub speciebus panis; quod ex Maria Virgine natum est, sed materia prima non est nata ex Maria Virgine; ergò nec materia poterit dici poni illuc. Deinde corpus Christi fuit corruptibile, materia autem non est, ergò. **Sed Principaliter in contra**

Opponitur Autoritas tum S. Ang. XVII.

lib. Immort. anim. 15. & 16. ubi ait: *Speciem corpori per animam tribuit. Item corpus nullum fit nisi accipiendo per animam speciem, tum Aristotelis 7. Met. t. 35. ubi ait: oculum & carnem mortuam esse aequivocè carnem & oculum. Item 2. Gen. cap. 1. inquit: Non enim est facies, nisi animam hominis habeat, neq; caro, sed corrupta aequivocatione dicitur caro, aut facies perinde quasi lapidea, vel lignea facta esse.* Sed hoc esset falsum, si eadem forma post mortem maneret, quae erat in vivo; ergò non datur talis forma. **Resp. Ad D. August.** illum quidem ibi sic sensisse, verum tamen totum hoc

hoc retrahavit, nam lib. 1. Retrahit. cap. 7. eadem repetens ait: Hoc totum prosum temere dictum est. Ad Aristotelem, nihil aliud velle, quam carnem & oculum, in quantum considerantur ut instrumenta animae; post mortem esse tantum æquivocè talia instrumenta, non verò voluit, quòd considerata secundum se à vita præscindendo, & morte sint æquivocè talia, & hanc Responsionem manifestè colligit Regius ex Philosopho 4. Met. ult. ubi ait: carnem mortuam esse æquivocè carnem, quia illa propriè dicitur caro, quæ potest facere opus carnis, id est, quæ appositum nutrimentum, in carnem sibi similem, convertere potest, quod nequit caro mortua.

Instatur: Nihil potest esse propriè caro, nisi quod est constitutum per formam carnis, nec corpus nisi constitutum per formam corporis, etiam secundum esse & non quoad operari, sed anima est tantum forma corporis & carnis, ergò ea separata non poterit aliquid dici propriè caro, sed tantum æquivocè, probatur minor: quia secundum eundem Philosophum 2. de Anima cap. 1. Anima est actus primus corporis nisi alia potentia vitam habentis, ergò anima est tantum forma carnis, quia actu primo nullus est prior, anima autem est actus primus, ergò non est alius prior & consequenter, si non fuerit anima, non poterit etiam secundum esse habere propriè corpus vel facies. R. concedendo ma. & distinguendo mi. anima est forma carnis vel corporis, in quantum sunt instrumenta ad exercendas suas operationes, concedo mi. præscindendo à ratione instrumentorum nego mi. & consequentiam, Itaque caro & corpus organicum dupliciter considerari potest, primò absolute & in se cum illa diversitate partium inter se, secundò in quantum sunt instrumenta ad exercenda munia vitæ, & licet sit ejus forma in hac posteriori acceptione, non est tamen in priori, quia cum hæc sit homogenea & uniformis, non potest tot, tamque diversa esse dare, qualia sunt esse carnis, ossis, nervi, &c. Sed

Urgetur: Nec Forma corporeitatis potest dare tam diversa esse, qualia sunt carnis, ossis, nervi &c. ergò nulla solutio: probatur ant. quia illa forma est una specie, tam bene ac anima rationalis, ergò. R. negando ant. cum sua probatione, quia forma corporeitatis non est una specie, si enim esset, tunc urgeret bene replicata, sed est potius congeries illa formarum substantialium carnis, ossis & nervi, singulæ enim partes heterogeneæ habent suas partiales formas, ita ut forma totius corporis aliud non importet nisi congeriem omnium formarum partialium.

Arguitur: Ex ratione 1. Cum D. Thomas 1. p. q. 67. a. 4. Unius rei unicum est esse, ergò etiam unica tantum forma: probatur consequentia, quia forma est quæ dat esse, ergò si ens erit unum, unam tantum debet habere formam, & si plures habuerit, non habebit unum esse. R. dist. 1. consequens, una forma completa & adæquata, ac non ulterius subordinata, concedo consequentiam, subordinata, nego consequentiam & similiter dist. ultimum consequens, si haberet plures formas, non esset

unum ens, si essent plures non subordinatæ concedo consequentiam, subordinatæ nego consequentiam.

Instatur: Non potest fieri aliquid unum ex pluribus formis si sint subordinatæ, siue non, ergò nulla solutio: probatur ant. quia per primam formam res constitueretur in suo esse, ergò per alteram non posset constitui aliquid unum; probatur consequentia, quia quod advenit enti in actu, constituit unum per accidens, ergò non constitueret unum per se, sed unum per accidens, quod falsum est. R. negando ant. cujus probationem distinguo, constitueretur in suo esse completo & ultimo, nego incompleto & non ultimo, concedo ant. & nego consequentiam, similiter distinguo consequentiam probationem, quod advenit enti in actu ultimè completo, concedo ant. non ultimè completo, nego ant. Itaque totum constitutum ex materia & forma corporeitatis est ens incompletum, quod ulterius compleri potest per animam.

Urgetur: Si illud totum ex materia & forma corporeitatis constitutum esset incompletum, non posset naturaliter existere sine anima, sed hoc est falsum, ergò. probatur sequela, idè materia prima non potest naturaliter existere sine forma, quia est incompleta, ergò à pari. R. negando sequelam cum sua probatione, ratio disparitatis est, quia materia prima semper est legitime disposita ad recipiendam formam quamcunquè, corpus autem non est semper sic dispositum ad recipiendam animam. Deinde ex eo quòd sit incompleta, non licet statim inferre, ergò non potest existere sine alio, quia etiam anima est incompleta, & tamen rationalis existere potest sine corpore. Denique alia & potissima disparitas est, quòd materia prima sit pura potentia subjectiva, nullum includens omnino actum informantem, corpus verò, licet etiam sit potentia subjectiva ad animam, attamen etiam includit aliquem actum informantem, licet incompletum & imperfectum, talis autem potentia subjectiva citius potest existere sine alia ulteriori & adæquata forma, quam potentia, quæ nullum actum includit Physicum. Sed iisdem quodammodo inhærendo principiis.

Arguitur 2. Si daretur aliqua forma corporeitatis, quæ sic posset existere sine anima tanquam sua ultima & adæquata forma, sequeretur quòd defecto à parte rei, & non tantum per operationem intellectus daretur individuum genericum, seu vagum quod sub nulla specie substantiæ contineretur, sed hoc est impossibile & contra dicta in Logica, ergò; probatur ma. quia illud compositum ex materia prima & forma corporeitatis, est individuum corporis, quod est genus in prædicamento substantiæ, & tamen non est sub ulla specie infima, quia non includit formam ultimam, quæ constitueret in esse specifico. R. negando sequelam Majoris, cum probationis ma. Quia individuum contentum sub genere substantiæ, seu sub corpore, de prædicamento substantiæ in linea recta debet esse Physicè completum, & includere formam specificam ultimam, illud autem

XIX. Secundum.

tum corpus, de quo hic est sermo, est Physicè incompletum, non includens formam ultimò specificativam.

Instatur: Illud corpus continet totam essentiam corporis de prædicamento substantiæ, ergò est Physicè completum & consequenter nulla solutio: probatur ant. quia ad illud corpus non requiritur essentialiter, nisi quòd sit compositum ex materia & forma substantiali, vel quòd sit substantia per se existens, sed compositum ex materia & forma corporeitatis est tale, ergò. R. negando ant. ad probationem nego ma. quia ulterius requiritur, quòd sit Physicè completum, seu quòd constet ex materia & forma, ultima Physica vel ultimè completiva Physicè, qualis non est forma corporeitatis. Sed

Urgetur: Forma Corporeitatis non potest contineri sub communi ratione formæ substantialis, quin sit in aliqua ultima specie formæ substantialis, ergò compositum ex tali forma & materia erit sub aliqua specie ultima, & consequenter sub specie completa, vel si hoc non, tunc dicendum, quòd sit sub nulla, & consequenter stabit argumentum, quòd dabitur in dividuum genericum & vagum. R. dist. primum consequens, erit sub aliqua specie substantiæ corporeæ ultimè completæ, nego consequentiam, incompletæ concedo. Itaque cum materia prima & anima rationalis, etiam secundum ipsos Adversarios sint aliquo modo in aliqua specie substantiæ incompletæ, idem dicendum est de illo composito ex materia & corporeitatis forma, nec ex hoc aliquid absurdum inferri potest, quàm quòd in generatione naturali viventis introducantur duæ formæ substantiales vel duo composita, aut duæ mutationes, quia hoc est necessarium ad salvandum diversa constituentia, constituta, & diversas mutationes, quæ sunt completæ & perfectæ, sed incompletæ & imperfectæ.

XX.
Tertium ex
Philosopho.

Arguitur 3. Argumento desumpto ex Philosopho secundum quem, subjectum generationis in hoc distinguitur à subjectis aliarum mutationum, quòd subjectum generationis sit ens in potentia, aliarum verò ens in actu, sed compositum ex materia prima & forma corporeitatis est ens in actu, quia habet formam, ergò non poterit esse subjectum generationis. Resp. permittendo transire majorem dist. mi. Compositum ex materia & forma est ens in actu ultimè completivo, nego mi. non ultimè completivo, concedo mi. & nego consequentiam. Itaque pro intelligentia solutionis datæ notandum, quòd aliquid in potentia dupliciter dici possit, primò in pura potentia, ita ut nullum habeat actum informantem: secundò in potentia non pura, sic quòd habeat aliquem actum, & tamen adhuc sit capax alterius actus ultimè completivi in suo genere, similiter dupliciter potest aliquid dici in actu primò, quòd habeat aliquem actum non ultimè completivum, secundò quòd habeat aliquem actum ultimè completivum, Philosophus autem dixit, de ente in actu in prima acceptione, non verò in secunda.

Instatur: Secundum Philosophum 1. de generatione l. 14. *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente, sed compositum ex materia prima & forma corporeitatis, est ens in actu sensibile, ergò tale non potest esse subjectum generationis.* Confirmatur, quia è contra Corruptio, est delitio totius substantiæ, ergò nullum ens manet in actu sive ultimè completivo, sive non, & consequenter subjectum generationis est ens in potentia, & nullo modo in actu. R. 1. Philosophum tantum loqui de generatione inanimatorum; nam de his dictum suum exemplificat Aristoteles, de aqua, quando convertitur in ignem, vel aërem, vel aërem in ignem, & è contra. R. 2. magè ad propositum, quòd tantum velit Generationem esse mutationem totius in totum, id est, generationem totalem & ultimè completivam, non verò partialem & inadæquatam. Ad confirmationem dico, corruptionem esse delitioem totius substantiæ cathegorematicè sumptæ, seu terciæ entitatis ex corpore & anima, non verò totius substantiæ syncathegorematicè sumptæ, seu pro singulis partibus, alioquin deberet etiam desinere materia prima, quòd falsum est.

Urgetur Contra ultimam solutionem: si maneret aliqua pars vel aliquid ens in actu, sequeretur fieri corruptionem substantialem sine generatione substantiali, sed hoc est contra Aristotelem, ergò; probatur mi. quia secundum ipsum generatio unius est corruptio alterius, ergò etiam corruptio unius est generatio alterius, ergò est contra Philosophum, dari corruptionem substantialem sine generatione substantiali. R. dist. ma. Corruptionem totalem, nego ma. corruptionem partialem; concedo ma. quando autem moritur homo, non est corruptio totalis, sed partialis; ad probationem minoris R. dist. ant. Generatio unius est corruptio alterius, mediatè vel immediatè transcat ant. immediatè semper nego ant. Quia quando producitur forma corporeitatis, destruitur forma, quæ præcessit in materia, quando autem producitur anima, non est necesse, quòd aliquid immediatè corruptatur, cum anima sit composibilis cum forma corporeitatis, unde potius tunc tantum aliquid destrui debet, quando posterior forma imposibilis est cum priori, similiter respondeo ad primum consequens, non est etenim necesse, ut immediatè in corruptione aliqua nova forma introducat, sed sufficit, quòd mediatè. Imò illud axioma Philosophi non est universaliter verum, quòd generatio unius sit corruptio alterius: quia dantur multæ generationes accidentales, quas tamen non concomitatur corruptio, ut patet, dum generatur lux in aëre, species in medio, scientia in intellectu &c. Sed quemadmodum conclusionem nostram probavi etiam argumentis Theologicis, ita pariter

Arguitur 4. In contra argumento Theologico: Si daretur forma corporeitatis totalis in toto homine & partialis in lingulis membris, & organis corporis humani, sequeretur, quòd aliquid naturæ humanæ non esset redemptum à Verbo, sed hoc asserere est inconveniens.

conueniens, ergo; probatur sequela: quia secundum D. Damascenum lib. 3. de fide cap. 25. nihil est assumptum, quod non est curatum, nec curatum, quod non est assumptum, ut passim circumfertur: sed aliqua forma partialis naturae humanae non sunt assumptae, ergo; probatur minor, quia illae formae partiales, quibus distinguitur sexus foemineus à masculino, non sunt assumptae, ergo. R. Primò, retorquendo argumentum, secundum Adversarios: Formae partiales non sunt aliud quàm materia & accidentia, sed Verbum non assumpsit illa accidentia, quibus foemina distinguitur à Viro, ergo aliquid in natura humana est, quod non est curatum, quia materia & accidentia illa non sunt assumpta. R. negando sequelam ad probationem ex diuo Damasceno dist. ma. nihil est curatum, quod non est assumptum, curatione sanctitatis substantialis, concedo maiorem, curatione sanctitatis meritoriae, nego maiorem, & distinguo similiter minorem & nego consequentiam. Itaque verum est quidem, quod substantialiter nihil sit per Deitatem sanctificationem & curatum, nisi quod est assumptum, nihilominus curatione redemptionis non consistit in illa sanctitate, alioquin si Verbum assumpsisset naturam humanam & eam ad caelos transfulisset, iam fuisset redemptio perfecta contra Apostolum ad Hebraeos 9. ubi ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio*: quare Remedium & curatio potius in meritis Christi consistit, quae sufficiunt omnibus illis, quibus applicantur: ita quod si pro Angelis fuissent applicata, eis etiam profuissent, & sic patet, magis prodesse mulieribus, cum ipsis pariter sint applicata. Omitto plures alias replicas & objectiones, quae apud Auctores passim videri possunt.

Quaeres: Utrum partes heterogeneae viventium constant formis partialibus diversae rationis essentialis, unam formam totalem, quae corporeitatis dicitur, integrantibus? R. cum Doct. loc. cit. Affirmativè, Ratio est, quia in vivente sunt partes diversae rationis, ut caro, ossa, nervi, &c. quae habent diversas qualitates sibi connaturales, nam caro est mollis, os durum &c. ergo illae constant formis partialibus diversae rationis, quia non potest ostendi ratio, quare tales qualitates convenirent illis diversis partibus, nisi quatenus partes illae diversis formis partialibus exigentibus, tales vel tales qualitates, ideo enim colligimus defecto distinctionem specificam substantialem, quia videmus aliquas qualitates convenire huic & non alteri, alias quaero quomodo aliquis sciat lapidem non esse aurum? lac non esse vinum? &c.

QUESTIO V.

Utrum due formae substantiales non subordinatae possint esse in eadem materia?

Sicut praeteritâ quaestione per formas subordinatas intellexi eas, quarum altera altera indiget, ita ut sine ea nequeat habere aliquas operationes, quas cum ea habere posset, & quarum una aliam supponit tanquam constitutum physicum sui immediati subjecti, ita

per formas non subordinatas intelligo eas, quae ita sunt completae, ut non indigeant se invicem ad aliquas operationes, nec una alteram supponat tanquam subjectum suum, aut subjecti sui constitutum, adeò ut si simul reperiantur in eodem subjecto, neutra ad operationem alterius concurreret, ut sunt formae ignis, aquae, ligni, de formis etenim substantialibus tantummodò agitur quaestio: de accidentalibus enim nullum est dubium, in qua materia non modò cum illis, qui extra scholam Scoti sunt, sed etiam inter domesticos magna controversitur alteratione, nam plures partem negativam tuerentur, alii e contra affirmativam, omnibus Scotum pro patrocínio & tutela citantibus: Unde in rei veritate Triplex circa hanc quaestionem est sententia, Prima est Arriagae asserentis disp. 3. Phys. asserentis: de potentia ordinaria plures formas substantiales posse esse simul, dummodò non exigant contrarias dispositiones. Secunda Thomistarum, Lorcae, Compluten. post Divum Thomam putantes, plures formas supernaturaliter nec posse esse simul. Tertia est communior inter Scotistas, qui dicunt supernaturaliter id non implicare, quid ego sim approbaturus, mox patebit, interim

DICO I. *Due formae substantiales non subordinatae, naturaliter nequeunt esse simul in eadem materia.* Haec est communior, contra Arriagam.

II. *Naturaliter due formae nequeunt esse simul.*

Probatur Conclusio primò,

Quia nulla aliqua causa potest habere simul duos effectus adequatos, sed materia causa est sustentativa, &eductiva formarum, ergo non potest habere simul duas, quia quaelibet ipsarum est effectus adequatus; probatur ma. à paritate aliarum causarum, quia efficiens non potest producere duo simul, quorum quodlibet ipsi sit adequatum, similiter finis non potest eundem movere ad applicandum bis media.

Dices: In hoc argumento peti principium, quia in quaestione versatur, an una forma sit adequata materiae, ita ut non possit habere aliam simul, ergo nihil probat. Resp. negando ant. Quia inde deducitur, quamlibet formam esse adequatam materiae, quia non potest esse sine omni forma, unde quia materia abhorret esse sine forma, sicut natura abhorret esse locum sine locato, unde sicut nullus locus est ex parte tantum plenus corpore, sed totaliter, ita etiam materia non est plena forma ex parte, sed adequatè, itaque quaelibet forma erit adequata materiae. Sed

Probatur Conclusio secundò

ab Experientia, optima rerum magistra, quae videmus, quòd ad introductionem unius formae expellatur alia, nam quando terra vertitur in gramen, non amplius est terra, & cum gramen vertitur in sanguinem animalis, non amplius est gramen & sic de cæteris. Verumtamen

Arguitur: Experientiam quoque esse in contrarium, nam in primis quando duae formae succedunt sibi invicem, verbi gratia, forma ignis formae ligni, secunda expellit priorem, ergo est simul cum illa: quia non potest esse

III.

IV.

V. *Argumentum in contrarium.*

esse nisi in subiecto, ergo est simul cum subiecto. Resp. negando consequentiam, quia quando una forma expellit alteram, non est necessesse, ut sit simul posterior cum priori, quod clarè constat à pari; nam quando duo corpora expellunt se ab eodem loco, non est necessesse, quod pro aliquo instanti sint simul in eodem loco, sic quoque dicendum in præfenti, quia expulsio formalis non est aliud quam successio immediata alicujus priori alteri, quod non fit per aliquam efficientiam, sed tantum ex eo, quod ponat aliquid, quod non potest stare cum remanentia prioris, id est seipsam.

Instatur: Experientia quoque docet, non modò in successivis, sed etiam in permanentibus duas formas posse esse simul, nam in montanis Ungariæ Auri, Cuprique fodinis, sunt quedam aquæ, quæ injectum ferrum, in cuprum mutant ita, ut si pars sit intra aquam, alia extra immerfa erit cuprum, quæ ad extra manet ferrum, ut ipse vidi in quadam Equi ungula, quæ media ex parte erat cuprum, ferrum ex altera: quo posito sic Instatur: in tali casu in indivisibilibus continuativis illius totius ungule erant simul duæ formæ substantiales diversæ rationis, ergo experientia est quoque in contrarium: probatur aut. Illa indivisibilia sunt continuativa utriusque metalli, veluti termini intrinseci, ergo debent habere formam utramque, ergo si in indivisibili poterunt esse simul: multò magis in eadem parte materiæ. Resp. in casu, aliquam formarum carere indivisibilibus terminativis, quod non est mirandum: quia illud indivisibile medium non est tunc illius completæ terminatio, sed potius continuatio aliqua, vel dicitur, illa indivisibilia non esse materiæ, sed formæ: adeoque nihil duarum formarum est in eadem materia. Urgetur hic etiam adhuc aliâ experientiâ de ferro candente, sed quia hæc apud Authores obvise ubique reperitur soluta, omitto eam liberè. Nunc ad difficultatem principalem resolvendam

VI.

*Bene tamen
distinguitur.*

Dico 2. Duæ formæ substantiales completæ non subordinatæ possunt esse in eodem subiecto divinitus, dummodò non sint contrariæ, vel repugnantes dispositiones præviæ. Hæc colligitur ex Scotò 3. d. 8. q. 1. n. 6. & d. 6. q. 2. num. 7. & 4. d. 1. q. 2. n. 22. quem Scotistæ communiter sequuntur, ut Maffrius, Pontius, Sghemme, Tombetus, & c. Ruvius, Suarez, & c. & plures Recentiores.

Probatur Conclusio primò,

Ratione communi: Quia Deus potest facere omne illud, quod non implicat plures formas esse in eadem materia, ergo Deus poterit plures formas ponere ad eandem; probatur minor, de qua sola est difficultas, & primò non repugnat ex parte divinæ potentie, quia Deus est infinite virtutis, & ideo potest supplere defectum materiæ ad educationem, & conservationem formarum duarum simul, talis enim defectus si quis est, est in genere quasi causæ efficientis: Neque implicat ex parte materiæ, quia hæc, ob suam indifferentiam non est limitata ad hanc vel illam formam, sed indeterminata & illimitata, ita ut quando unam recipit, reti-

net adhuc capacitatem ad aliam, non potest simul & semel aliam recipere, quia una forma disparata, nata est expellere connaturaliter aliam, ergo defectus etiam non est ex parte materiæ; probatur denique, quod neque ex parte formarum, primò: Quia formæ substantiales non sunt contrariæ inter se, ergo nec incompatibiles; Probatur consequentia, quia contrariis proprium est expellere se invicem, sed hæc non sunt contraria, ergo: probatur hæc minor: quæ etiam est ant. superius, quia si essent contrariæ, tunc esset ex quatuor oppositionibus una, sed neutra est, ergo; probatur minor, non contraria, quia hæc proprie versatur inter qualitates, quarum una nata est expellere aliam ab eodem subiecto inhæfionis, ut vicissim inesse possit: nam formæ nullibi sunt in subiecto inhæfionis, ergo. nec etiam privativa, aut contradictoria, quæ utrumque extremum est quod positivum, oppositionis autem privativæ & contradictoriæ, extrema non sunt ambo positiva, ergo. nec est oppositio relativa, quia utrumque extremum est quid absolutum, ergo.

Dices: Esse oppositionem disparatam,

ratione cuius una necessariò expellit aliam: sed Contra: Oppositio disparata non sufficit, ut una forma expellat aliam, quia si hæc sufficeret, deberent se necessariò expellere omnes formæ disparatæ, sed hoc non faciunt: ergo: probatur, quia albedo & dulcedo sunt formæ disparatæ, sed hæc non expellunt se invicem à subiecto, ergo oppositio disparata non sufficit: probatur mi. quia ambæ simul reperiuntur, tam in lacte, quam saccharo, ergo.

Instabis: Requiritur etiam rationem sub-

stantialem & non tantum oppositionem disparatam, in lacte autem & saccharo sunt tantum duæ formæ disparatæ accidentales. Sed Contra, tum quia hoc gratis dicitur, tum quia eodem modo se habet oppositio disparata formarum substantialium ad subiectum substantiale, sicut se habet oppositio disparata accidentium ad subiectum illorum quoad expulsionem, sed non expellunt se formæ accidentales disparatæ à subiecto accidentali, ergo nec expellent se duæ formæ substantiales à substantia substantiali.

Continuatur argumentum

probando, quod non fit defectus ex parte formarum, quia non solum duæ formæ contrariæ & disparatæ possunt simul subiectari in materia, sed nec duæ homogeneæ & ejusdem rationis: atqui duæ formæ homogeneæ non sunt sibi oppositæ, ergo quod duæ formæ non possint esse simul, non oritur præcisè ex parte formarum, intelligo semper argumentum quoad effectum primarium formarum, qui est informare, quia quoad secundarium certum est, quod tota ratio oritur ex illis, nam quemadmodum effectus primarius est informare, ita secundarius est expellere se invicem, attamen hic effectus omnino impediri potest, unde instaurò argumentum, &

Probo id ipsum de formis tertio,

si esset aliqua implicancia, quare duas formas sub-

substantiales non possit Deus ponere in eadem materia esse ex parte formarum, sed nec ex istis est, ergo: probatur, quia ista esse vel secundum effectum primum vel secundarium, non primum, ut probatum est, nec etiam secundarium, quod probatur: Quia Deus potest impedire effectum secundarium cujuscunque formae positivae, ergo, probatur ant. quia Deus potest impedire, quo minus duae quantitates expellant se invicem ab eodem loco, similiter potest Deus duas qualitates contrarias in eodem subjecto, ut probabitur tenet quaedam sententia, de qua infra.

Dices: Deum non quemcunque effectum secundarium posse impedire, ergo nulla probatio: probatur ant. quia negatio formae lapidis est effectus secundarius formae panis, sed nunquam forma panis potest esse sine negatione formae lapidis, ergo non quicunque effectus secundarius impediri potest. Sed Contra: negando ant. ad cujus probationem dico, illam nimium probare, quia sequeretur etiam non posse duas formas accidentales esse simul in eodem subjecto, verbi gratia, albedinem & dulcedinem in lacte, quod tamen falsum est; probatur nihilominus id sequi, quia albedo habet necessario annexam inseparabiliter negationem dulcedinis, ergo si illud non potest esse cum alio, quod habet negationem formalem alterius, albedo non poterit esse cum dulcedine: Itaque peccat instantia in diversa acceptione terminorum, aliud enim est, unum necessarium non esse aliud, & aliud unum necessarium non esse cum alio, quamvis ergo una forma substantialis necessarium non sit alia, non tamen ideò istud debet non posse esse cum alia, alia namque est negatio essendi aliud, alia negatio essendi cum alio.

Probatur Conclusio secundò

Principaliter: Quia secundum Scotum in 3. d. 1. q. 3. Possunt plures humanitates uniri Verbo Divino, & consequenter plures animae rationales, ergo & plures formae eidem materiae; Probatur consequentia, quia si possunt plures formae uniri uni alicui, modo supernaturali, qualis est modus uniendo hypostaticè, ergo & modo connaturali, qualis est modus uniendo formam cum materia.

Dices: Disparitatem esse, quia implicat, quòd plures effectus terminentur ad eandem causam totalem, licet benè idem effectus ad plures causas totales, & consequenter materiam terminari ad plures substantias. Sed Contra, falsò supponitur, quòd materia non habeat propriam substantiam partialem, distinctam à substantia formae, ut videri potest supra.

Probatur Conclusio tertio:

Possunt plura corpora esse simul in eodem loco, ergo & plures formae in eodem subjecto vel materia; probatur consequentia, quia illae formae nihil recipiunt præter respectum extrinsecum unionis, sed illa corpora respectum talem extrinsecus advenientem recipiunt sine repugnantia: ergo etiam formae plures, eundem respectum sine repugnantia accipere poterunt.

F. Amandi Hermann Physica.

Dices: Disparitatem esse, quia corpora duo per penetrationem fiunt unum locabile, seu quoad locum: quia illa duo corpora ita se penetrant, ut sit unum locabile, unde sicut unum locabile potest circumscribi uno loco, ita etiam illa duo corpora: nam ad situm localem sunt intra se; duae verò formae substantiales non possunt fieri unum in esse informantis, quia forma panis in esse informantis necessariò constituit panem, ut non possit constituere magnetem vel adamantem, & e contra, sed repugnat per Dei potentiam, quòd forma panis faciat magnetem, vel constituat adamantem, ergo duae formae substantiales non poterunt esse simul, nec divinitus. Sed Contra: Illae duae formae informantes materiam, non faciunt unum in esse informantis, nec unum compositum, sed duò tam diversa, quoad esse categorematicum totius, quam si illae duae formae essent in diversis materiis, ergo disparitas innicitur falso fundamento; patet ant. quia sicut una forma distinguitur ab alia, ita informatio unius ab informatione alterius, & sicut una distinguitur ab alia in esse informantis, ita etiam compositum ab una causatum distinguitur à composito per aliam causato. Deinde falsum est, quòd illa duo corpora faciunt unum locabile, sunt enim duo corpora realitèr duabus locationibus passivis locata, licet locus fundamentalitèr sumptus sit unus, id est, superficies ambiens. Restat nunc accedere ad solvenda argumenta, quae sunt ex implicantiis, quas diversè diversas faciunt. Itaq;

Arguitur I. Ex nostra conclusione sequeretur, quòd duo composita substantialia, & etiam duo supposita, possent de se invicem prædicari sicut dulcedo & albedo, sed hoc implicat, ergo: probatur ma. quia ideò albedo potest prædicari de dulcedine, dicendo album est dulce: quia albedo & dulcedo sunt in eodem subjecto, sed in casu nostro etiam essent duae formae in eadem materia, ergo: probatur minor. quia de ratione suppositi est, quòd sit incommunicabile, & consequenter unum de alio prædicari non potest, deinde qualis esset ista prædicatio, panis est lapis, & e contra. Sed r. neg. sequelam, ad cujus probationem dico disparitatem esse, quia formae accidentales explicantur nominibus connotativis & adjectivis, substantiales verò nominibus absolutis & substantivis, quare illae possunt de se invicem prædicari, non verò istae, quòd si autem etiam explicarentur nominibus connotativis, non videtur, quare non possent de se invicem quoq; prædicari, ut panatum & lapidatum, quia tunc sensus esset, quòd illud, quòd est informatum formâ panis, sit etiam informatum formâ lapidis. Sed

Instatur: Deus & homo, sunt nomina absoluta, & tamen quia natura humana & Divina sunt unita, eidem supposito Deus & homo de se invicem prædicantur, ergo etiam duae formae substantiales, licet sint absolutae, quia tamen in eadem materia, de se invicem poterunt prædicari. R. negando consequentiam, quia ut fiat mutua prædicatio, debent esse in eodem supposito, sic quia illae duae naturae habent idem suppositum, poterunt de se invicem prædicari: in

XIV.

XV.

Argumentum in compositis prædicatis.

Bbb casta

casu autem conclusionis essent duo supposita, licet in eadem materia, adeoque de se invicem prædicari nequeunt. Sed

Urgetur: Illa possunt de se invicem prædicari, quæ possunt communicari sibi invicem, ut patet de Deo & Homine in casu supra, sed illa duo composita communicarent se invicem, ergo possent adhuc prædicari de se invicem; probatur mi. quia pars essentialis, & numerica unius est pars essentialis alterius, scilicet materia, ergo. R. negando mi. ad cujus probationem dico, quod nunc & defacto materia unius suppositi communicetur alteri disjunctim & successivè, & ideò tamen non licet dicere, quod suppositum cujus actu est pars, sit communicabile, aliud ergo est dicere de parte suppositi, aliud de supposito.

XVI.
Secundum.

Arguitur 2. Ex nostra conclusione sequeretur, quod expellere aliam formam à subiecto esset effectus formalis formæ, & non esset, esset ut supponunt omnes, non esset verò, quia tunc impediretur à Deo, ergo esset & non esset; sed nullum tale implicatorium potest Deus facere, ergo neq; hoc. R. negando sequelam cujus prob. dist. esset & non esset quoad potentiam naturalem & ordinariam Dei, nego ant. esset quoad potentiam ordinariam, & non esset quoad potentiam absolutam Dei impediens illum effectum formalem, concedo ant. Nec in hoc aliqua est implicatio, quia non est respectu ejusdem.

Instatur: Ideò Deus nequit impedire effectum formalem primarium, quia nequit supplere effectum talem sine forma, sed non potest supplere effectum secundarium sine forma, ergo nec impedire. R. negando mi. quia Deus potest expellere formam absq; eo quod in illud subiectum introducat alia, subtrahendo suum concursum ad conservationem formæ; Unde sic retorquetur argumentum contra Thomistas: Illum effectum, secundum ipsos potest impedire, quem Deus potest supplere, sed potest supplere effectum secundarium, ergo potest etiam eundem impedire.

Urgetur: Possit Deum quidem impedire aliquem effectum secundarium, non tamen talem, qui est negativus & infimus formæ, quia necessariò negat alteram formam in subiecto, sicut est forma cadaveris, quæ necessariò negat aliam formam in materia seu subiecto, ergo nulla solutio; probatur ant. quia forma cadaveris negat formam viventis in homine, qui est effectus secundarius formæ cadaveris, quem tamen Deus non potest impedire. R. negando ant. & ad probationem ejus dico, quidquid sit, an detur forma cadaveris, quod à nobis Scotistis simpliciter negatur, quod quamvis daretur, tamen ex sua ratione formali non dicit negationem esse cum forma viventis, seu anima in materia prima, quia Deus impedire posset, nec expelleret animam ab eadem materia. Deinde responderi possit per ultimam particulam conclusionis, quam infra explicabo.

XVII.
Tertium.

Arguitur 3. Implicat compositum substantiale, quod resultat ex materia & forma esse unum & plura, sed hoc fieret, si una materia in-

formaretur à duabus formis, ergo: probatur mi. quia tunc illud compositum esset unum, quia haberet unam, speciem & numerum materiam, & etiam essent plura ob pluralitatem formarum. R. negando mi. ad probationem dico, quod simpliciter plura composita, non verò unum, quia pluralitas compositorum attendi debet penes pluralitatem formarum, unde licet esset una species & numerus materia, non potest inferri simpliciter esse tantum unum compositum, sicut non licet inferre, materia panis & materia lapidis est ejusdem speciei, ergo etiam panis & lapidis sunt ejusdem speciei.

Instatur: Si essent in casu simpliciter plura composita, sequeretur, quod utrumque posset operari & etiam non posset, sed hæc est inconvenientia magna, ergo non sunt duo composita; probatur sequela ma. quia ponatur, quod idem corpus informetur duabus animabus rationalibus, verbi gratia, Titii & Mævii, si sunt duo composita: Titius poterit ambulare posse & non posse, posse quidem, quia habet formam, quæ est principium actionis, non posse verò, quia Mævius potest nolle, sine cuius velle ambulare non poterit: quia organa quæ Titius adhibere debet ad ambulationem, sunt organa Mævii, ut patet, cum sint eadem utriusq; ergo poterit & non poterit, nec planè scietur, quid in tali casu eventurum sit, ergo ad evitandas tales inconvenientias potius dicendum, unam materiam non posse informari pluribus formis. R. negando sequelam, ad cujus probationem dico, quod Titio volente ambulare Mævius posset nolle, & tunc si Titius vellet ambulare & Mævius nollet, vel Titius esset majoris virtutis, quam Mævius, vel e contra, & sic Titius posset ambulare non obstante quod nollet Mævius: si verò essent æqualis virtutis, tunc non sequeretur ambulatio; quia volitio unius non esset sufficiens accedente nohtione alterius. Quantum autem ad operationes organicas, minor est difficultas, nam tunc uno operante non necessariò alter operetur, & sic uno intelligente alter non necessariò intelligeret, & uno existente ignaro, alter posset esse doctus.

Dixi verò notanter in Conclusionibus: *Quomodo non sunt contrariae vel repugnantes dispositiones præviae*, quia existimo sat probabile formam ovis, verbi gratia, non esse cum forma leonis, vel lupi, nec formam asini cum hominis forma, & sic de aliis, unde sensus conclusionis potius est de formis inanimatarum, non verò de animalibus specie diversis: quia ista corpora diversis, diversisq; dispositionibus perfectibilia prærequirunt, quia corpus quod est aptum perfici per animam hominis, non potest perfici per animam serpentis, ex quibus patet, Scotistas sat competentes ad invicem reconciliari posse, si dicatur, quod negantes duas formas eandem posse informare materiam, aliud non velint, quam quod non possint formæ exigentes diversas & contrarias dispositiones prævias, & affirmantes quod possint, eos aliud non velle, quam quod formæ non exigitivæ contrariorum dispositionum simul esse valeant, & sic non tanta esset inter eos dissensio.

QUÆ.

QUAESTIO VI.

An una & eadem forma substantialis, possit informare plures materias simul?

Quemadmodum in praeterita quaestione

examinatum fuit, utrum plures formae possint esse in eadem materia, ita in praesenti à contrario quaeritur, utrum eadem forma possit esse in pluribus materiis? in qua materia sat consequenter loquuntur Auctores passim, nam omnes qui partem tenuerunt affirmantem supra, hic non declinant ad negativam & contra, exceptis Maffrio & Barone, quorum primus cum socio suo Belluto, licet admisserit plures formas posse esse in eadem materia, negat tamen, unam formam posse esse in pluribus materiis: Alter vero, licet negaverit plures formas posse esse in eadem materia, affirmat tamen eandem formam posse esse in pluribus materiis.

Pro cuius rei intelligentia Notandum,

quaestionem posse dupliciter examinari, an eadem forma possit esse in pluribus materiis, quae essent discontinuae & partiales, unam totalem & adequatam constituentes: secundò de materiis, quarum una partialis esset & altera totalis & adequata, vel utraque adequata, & quaestio potest moveri, tam de potentia absoluta, quam de naturali, de qua

Dico I. Una forma naturaliter nequit informare duas materias, sive illae sint totales & adequatae, sive sint partiales, dummodo sint discontinuae.

Hæc est communis omnium, & Probatur de totalibus: Quia informatio non potest fieri nisi in loco existat, sed nulla una forma potest naturaliter existere in pluribus locis adequatis discontinuis, ergò nec informare duas materias. Confirmatur, quia materia est dependentia formae à materia, quam corporis à loco, ergò si idem corpus nequit naturaliter esse in pluribus locis, nec poterit naturaliter esse in pluribus materiis.

Probatur etiam Conclusio

de materiis partialibus, sed discontinuis, tum quia experientia constat, quòd in divisione partium animalium perfectorum, anima statim desinat informare abscissam & separatam partem, & licet in insectis utraque pars viva maneat, non est tamen eadem anima, quae informat ac alteram partem, sed sunt plures; tot scilicet, quot materiae: tum quia continuatio est conditio necessariò requisita ad informationem, ergò connaturaliter una forma non poterit informare plures materias inadæquatas discontinuas.

Dico 2. Non implicat, quòd super naturaliter una eademque forma possit simul & semel informare duas materias discontinuas, integrantes unam adequatam.

Hæc est sat communis & sensus est, quòd si, verbi gratia, homo divideretur in duas partes, quòd eadem anima utramque partem informare possit: Et

F. Amandi Hermann Physica.

Probatur hoc ipsum primò

ex illo miraculo Divi Dionysii, de quo proditum est, abscissum suum caput sustulisse & progressum ad duo millia passuum, in manibus gestasse: in hoc namque casu verisimile, Divina virtute id fuisse factum, quòd anima, corpus & caput, simul informaverit, recurrere etenim ad spiritus vitales non videtur rationabile, quia illa nunquam tanto tempore solent durare, unde licet in aliis quandoque contingat, quòd abscissa capita vel clament, vel oscitent, id tamen citò transit: quare tunc bene referri potest in impetum impressum ab anima; nec similiter est necessarium asserere, per extrinsecam virtutem alicujus Angeli hoc evenisse, cum non possit assignari implicancia, quare anima non possit Divinitus informare utrumque, caput scilicet & corpus.

Probatur secundò ratione:

Quia continuitas materiae est tantum conditio, sed tales conditiones possunt à Deo suppleri, ergò; probatur mi. quia in naturalibus est quaedam conditio, ut anima informet corpus, quod longo tempore fieri est necessè, & tamen hoc in unico instanti in conceptione Christi contigit; Idem ad ratiocinandum in homine requiruntur dispositiones debita organorum, quae non nisi determinato aliquo tempore habentur, & tamen in Christo & pluribus aliis, vel in utero matris, vel in nativitate ipsa, perfectum habuere usum rationis, ergò similiter ista conditio sic à Deo suppleri potest. Sed in contra

Arguitur: Nihil potest excedere sphaeram suae activitatis, vel aliàs quamcunque, sed si anima informaret partes separatas, excederet sphaeram suae activitatis & informationis, ergò id fieri nequit: probatur mi. quia spatium occupatum à corpore est adequatum animae, ergò si anima esset in partibus divisis & separatis corporis, excederet sphaeram: quia occuparet etiam illud spatium intermedium. R. negando minorem: quia censo probabile esse, quòd animae spatium non sit ita limitatum, quin possit esse in majori quam corpus sit, quod exinde colligitur, quia anima in puero tota est, & eadem quae in viro, & tamen quando erat in puero, non habebat tantam sphaeram, sicut habet in viro, sic potest esse quoque in proposito; quod si verò spatium esset majus, quam anima nata sit occupare, non potest informare duas partes separatas, nisi replicetur, quia etiam in Angelo hoc verificatur, qui si est limitatus, ut non possit occupare nisi hoc cubiculum, non poterit esse in majori, nisi replicetur.

Instatur: In anima equi hoc verificari & contingere non potest, ergò Conclusio nondum subsistit: probatur ant. quia anima equi non potest esse sine subiecto, sed si informaret duas partes sui corporis discontinuas, deberet esse sine subiecto, ergò: probatur mi. quia esset in illo spatio quoad mediaret inter utramque partem, & si non esset in subiecto, periret, ergò eadem non possit esse in utraque parte. R. negando ant. absolute loquendo, nam quamvis

Bbb 2 bene

V. Argumentum in contrarium.

benè argumentum probet intentum, ut proinde dici deberet, id tantum verum esse de anima spiritali, attamen etiam de materiali adhuc esse possibile, sic ostendit: quia potest Deus facere, ut illa pars mediana & manens in intervallo non sit educa de potentia materiae equi, id est, non dependeret actu ab ea, sed à solo Deo suppleto efficienter defectum subiecti.

VI.

Dico 3. De potentia absoluta Dei, eadem forma potest informare plures materias. Hæc est communior Scottistarum de mente Scoti, licet quoque nonnulli eundem pro se citent.

Probatur Conclusio, quia potest poni eadem forma in diversis locis, ergo etiam in diversis materiis, probatur consequentia, quia non potest assignari implicancia ullo ex capite oriunda, ergo: probatur ant. non ex parte materiae, quia hæc est indifferens ad quantumque formam recipiendam, sive naturaliter producatur, sive non: neque etiam ex parte formæ, quia in tali casu merè passivè se habet, unde quemadmodum unum corpus potest poni in alio loco supernaturaliter, licet connaturaliter exigat tantum primum, sic quoque licet connaturaliter forma exigat unam tantum informationem, poterit adhuc supernaturaliter facere secundam. Nec denique est defectus vel implicancia ex parte efficientis, quia Deus ob suam infinitam virtutem & potentiam potest in materiam ponere formam, tam benè jam semel positam, quam nunquam adhuc, ergo.

VII.

Dices: Implicanciam esse ex parte formæ, quia sequeretur formam esse infinitam virtutis, sed hoc implicat, ergo. probatur sequela, quia quæ ratione posset informare duas, posset etiam infinitas: sed quod potest informare infinitas materias, debet esse infinita virtutis, ergo & forma esset talis. R. 1. negando sequela, ad cuius probationem dico, quod licet duas posset informare, ex hoc tamen non sequitur, quod possit etiam infinitas, nam intellectus potest intelligere plura, non tamen infinita, item anima rationalis potest informare plures partes realiter distinctas, ergo etiam infinitas, vel corpus magnum, ergo infinita magnitudinis, & sic de pluribus aliis causis & potentiis, quæ plures effectus producere possunt, non tamen infinitos; Deinde ex eo, quod corpus possit replere duo loca, non sequitur, quod possit infinita vel infinita virtutis.

Instabis: Corpus tantum se passivè habere, formam verò activè: adeoque licet illud ponatur in pluribus locis, non sequitur quod sit infinita virtutis: benè tamen de forma. Sed Contra I. Forma tunc se tantum passivè habet, ergo eadem est ratio & omnimoda paritas. Contra secundo si dicitur, quod forma activè se habeat respectu materiae, quia eam informat, sic quoque poterit dici corpus esse activum respectu loci, ex eo quod eundem repleat; Nec juvat adducere autoritatem Scoti in contra patrocinio oppositæ sententiæ, quia Doctor, dum ait, secuturam infinitatem, si posset plures informare materias, tantum arguit contra Vatronem, qui admisit infinitatem in for-

ma substantiali, si posset esse in pluribus materiis & negabat infinitatem in accidentibus, unde dicebat Scotus, quod si in forma substantiali sequitur infinitas, eandem quoque secuturam in accidentibus. R. secundo ad principalem replicam, negando similiter sequela, ad cuius probationem dico, non videri implicatorium, quare non posset etiam à Deo infinitas replicari: exinde tamen non sequitur, quod forma esset infinita virtutis, aut quod esset infinita perfectionis, quia ubique tantum esset una infinitas replicata.

QUÆSTIO VII.

An forma sit tota essentia Compositi?

Hujus questionis difficultas eaque non levis, sed perdifficilis, originem suam habere videtur ex ipso Aristotele, qui 2. Phys. cap. 3. formam appellavit quidditatem rei, unde Averroes, & post ipsum omnes sui sequaces Averroista dicti asseruerunt: formam esse solam essentiam & quidditatem rei: quavis non excluderent omnimodè materiam, attamen eam solummodò vocabant subiectum & vehiculum formæ, hos secuti plures alii, ut Simplicius, Themistius, Alexander, &c. Magister sententiarum verò dixit, illam solam materiam, quam animal à parentibus traxit, esse de ejus essentia, alii aliter senserunt: Ego tamen cum schola Scoti & communiori resolutivè, ad questionem

Dico: Forma non est tota essentia seu quidditas compositi, sed etiam illam ingreditur materia. Hæc est Doctoris, 3. d. 22. q. un. & 7. Met. q. 6. quem sui sequuntur omnes.

Probatur Conclusio prima,

Autoritate tum D. Aug. 19. Civit. cap. 3. ubi ait: hominem non esse animam solum vel corpus solum, sed utrumque, meliorem tamen partem hominis esse animam: familia habet D. Bernardus passim, signanter lib. 7. de considerat. cap. 7. ubi ait de Deo: Non partibus constat ut corpus, non formis subsistat ut omne quod factum est, ergo forma non est tota essentia, alioquin corpus non haberet partes, & gratis diceretur eum loqui de partibus integralibus, cum satis pateat, quod ubi summè extollat simplicitatem unitatemque Dei prout creaturis opponitur: tum denique Aristotelis 7. Met. 35. ubi ponit materiam partem speciei & 39. ait: superfluum esse asserere materiam à quidditatibus rerum, & 2. Ph. 18. & 19. & 2. Anima. 8. & 6. Met. 1.2. ait: Materiam debere poni in definitione rerum naturalium.

Dices: In his & similibus locis per materiam non debere intelligi materiam primam Physicam, sed genus, quod Aristoteles sæpè vocat materiam. Sed Contra, eodem modo se habet materia in Physicis, quemadmodum se habet genus in Metaphysicis, sed secundum responcionem genus Metaphysicum ingreditur constitutionem essentialem & definitionem, ergo etiam in Physicis: adeoque gratis recurritur ad genus. Imò quæ ratione dicere possunt. Adversarii Aristotelis tantum loqui de materia Metaphysica eadem dico ego quod loquitur de Physica. Denique Aristoteles loquitur de materia, quæ cum forma constituit per se unum vel unum actus

actus & potentia, ut patet ex illo 8. Met. t. 1. s. & 16. ubi ait: quidditatem compositorum esse per se unam, quia constat ex actu & potentia, sed ista potentia est Physica materia, ergo.

Probatur Conclusio secundò

ratione, primò: Omne compositum est aliquod totum, & omne totum est aliquod compositum, sed compositum involvit illa ex quibus componitur, & totum partes ex quibus constituitur; ergo forma non potest esse sola ratio quidditatis: probatur consequentia, quia forma sola est tantum pars compositi & totius; ergo debet adhuc habere partem ad hoc, ut constituat unum per se, sed nullam potius, quam materiam primam, ergo. Confirmatur: Totum & compositum differunt à rebus simplicibus, sed si non includerent plures partes, non possent differre, ergo: probatur mi. quia si esset sola forma, hæc est Physicè simplex; ergo nullo modo differrent.

Probatur Conclusio secundò:

Substantia materiales, & immateriales essentialiter inter se differunt, ut patet, cum quia substantia ut sic, in linea prædicamentali dividitur per differentias oppositas materialem & immaterialem, cum quia homo & Angelus essentialiter differunt, sed si forma esset sola essentia & quidditas rerum, non possent essentialiter differre, ergo: probatur ma. quia forma hominis est spiritualis æq; ac est Angelus; ergo non possent in ratione spiritualitatis differre. Confirmatur, quia sequeretur, quod sola Anima esset homo, item hominem futurum immortalem & incorruptibilem, quia anima, quæ est tota ratio & quidditas hominis, est talis.

Dices: ista non sequi, quia licet in forma consistat tota quidditas, tamen etiam necessariò requiritur materia tanquam subiectum & vehiculum, licet non ut pars; Sed Contra, si materia non concurrat ut pars, sed ut vehiculum forme, poterit per potentiam Dei absolutam dari compositum substantiale sine materia, sed hoc repugnat, ergo: probatur ma. quia potest Deus supplere vices subiecti, & conservare formam sine subiecto; ergo si materia non aliter concurrat, quam per modum subiecti, poterit in casu esse compositum sine materia.

Probatur tertio: Quia si sola forma esset tota quidditas compositi, existente solâ forma jam deberet existere totum compositum, sed hoc est falsum, ergo: probatur sequela, quia tunc existit totum aliquod, quando habetur tota eius quidditas, sed hic haberetur, ergo: probatur etiam mi. quia tunc posset legitime dici forma ignis est ignis, forma ligni est lignum, & sic de cæteris, quæ omninò falsa sunt.

Contra Conclusionem variè opponi

possunt autoritates, & loca Aristotelis, ad quæ tamen Scotus generaliter respondet: Aristotelem tantum velle, quod forma sit essentia vel quidditas, id est principalior ratio determinandi aliquid ad certam unam speciem, & materiam non esse talem rationem: per hoc tamen nequaquam vult, quod ingrediatur constitutionem formalem totius, unde iisdem opponi

possunt loca supra adducta. Vel dicito, cum loqui de forma totius, quæ est species, quæ utiq; est tota ratio & quidditas ejus, cujus est species. Plures tales textus copiosissimè adducit Mastrius Disput. 5. Physicæ q. 11. qui ibi videri possunt, solutiones omnes in datas coincidunt. Attamen

Arguitur: Nihil essentialè unius potest esse essentialè alterius, sed si materia esset essentialis unius partis, deberet esse quoq; alterius; ergo materia non est essentialis: probatur ma. quia nullum proprium potest alteri convenire; ergo etiam nullum essentialè alteri; probatur, quia nihil magis est alicui proprium, quam cujuslibet essentia, ergo. R. dist. ma. Nihil essentialè totius unius potest esse essentialè totius alterius, concedo ma. nihil essentialè unius partis secundum partem potest esse essentialè, secundum partem alterius, nego ma. & concessâ mi. nego consequentiam: ad probationem dico, verum esse quidem proprium quarto modo sumptum, posse alteri competere, nego tamen consequentiam; ad probationem dist. ant. nihil est tam proprium alicui, quam ejus essentia Metaphysica, concedo Physicæ, nego ant. & consequentiam. Itaq; licet tota essentia nulli alteri possit convenire, potest tamen convenire pars potentialis alteri, quæ hæc ob suam indeterminationem potest esse communis cum aliis, quemadmodum patet etiam in Metaphysica compositione.

Instatur: Si materia ingrederetur constitutionem alicujus compositi, deberet ingredi constitutionem omnium compositorum, sed hanc non ingreditur, ergo: probatur mi. quia non ingreditur hominis, ergo: probatur ant. quia tota ratio & quidditas hominis est esse animal rationale, sed hanc rationem materia non ingreditur, quia hoc totum habetur ab anima rationali. R. negando mi. cum probationis antecedente, ad cujus probationem dico: illud verum esse de essentia & quidditate secundum Metaphysicam considerationem; ratio tamen adducta falsa est, scilicet hoc totum haberi ab anima rationali, quia genus & differentia sumitur proximè & immediatè à tota rei entitate.

Urgetur: Essentia hominis debet invariata manere, sed materia hominis non manet invariata; ergo materia non est de essentia ejus; patet ma. quia essentia rerum dicuntur immutabiles; probatur mi. quia materia hominis totaliter defluit & refluit, ita ut in fine vix aliquid amplius habeat de materia, quam habuit in principio vite; ergo non manet invariata; ergo non est de essentia ejus, cum essentia hominis per totam vitam nunquam varietur. R. dist. ma. essentia hominis debet invariata manere secundum prædicata intrinseca quidditativa, concedo, secundum rationem existentia, nego ma. & mi. cujus probationem dist. materia hominis fluit & refluit secundum partes impuriore & fluxibiliores, concedo ant. secundum partes solidiores & feminales, nego ant. Unde ut dicatur idem homo manere, sufficit, quod remaneant partes principales, hæc pronunc de ista difficultate dicta sufficiant; quomodo autem stante tali fluxibilitate materia,

vivens toto tempore vitæ maneat, idem exami-
nabo in parte sequenti. Interim pro fine hujus
quæstionis sicuti etiam totius disputationis

x.!!
Forma etiam
appetit ma-
teriam.

Quæres: An forma etiam appetat ma-
teriam? R. affirmative, Ratio est: tum quia
quodlibet ens appetit suum finem, sed finis for-
mæ est constituere cum materia unum per se;

ergo forma habet appetitum ad materiam: tum
quia omne ens appetit illud sine quo naturali-
tèr nequit esse, sed forma connaturalitèr nequit
esse sine materia, ergo: tum quia quælibet res
appetit illud, quod in ipso arguit perfectionem,
sed informatio arguit perfectionem; ergo for-
ma appetet eam.



DISPUTATIO IV.

DE PRIVATIONE, TERTIO PRINCIPIO.

**Explicatis duobus principiis positivis & realibus, ad privationem, qua quamvis inde-
pendentèr ab omni operatione intellectus sit in rerum natura, ut statim dicam, realis
positiva non est, explicandam moveo manum, sed quia plur a præsupponenda sunt ex traditi-
tis, videlicet esse principium, quod non quidem compositum per se constituat, sed per se ad
generationem requiritur, & similia, idèo brevibus expediam præsentem Disputationem.
Itaq; sit**

QUÆSTIO I.

*An & quid sit privatio, & an à subiecto
distinguat?*

I.
Negatio di-
viditur.

Antequam ad resolvendam quæstio-
nem accedam prænotare oportet, Negatio-
nem primò dividi in negationem nudam & pri-
vationem. Negatio nuda iterum duplex est, alia
extra genus, alia intra genus, seu in genere. Ne-
gatio extra genus, est negatio extra omne sub-
jectum, seu quæ in nullo subiecto in rerum na-
tura fundatur; Negatio in genere, est negatio
in subiecto non capaci rei, quæ negatur, ut ne-
gatio hominis in bruto, & lapidis in ligno, quæ
non videtur magis opponi rei sic negatæ, quàm
ipsa alia res in quâ fundatur, & quæ est res dis-
parata à re sic negata.

II.
Explicatur
privatio.

Privatio est negatio, seu carentia formæ
in subiecto apto vel capaci talis formæ, per
carentia vel negatio, cum negatione nuda convenit,
per reliqua ab ea distinguitur. Privatio di-
vidi solet in privationem strictè & latè sum-
ptam: strictè sumpta est negatio formæ in sub-
jecto apto, & sustentare per modum causæ ma-
terialis formam, qualis est privatio formæ ignis,
in materia prima ligni: Privatio latè sumpta
est negatio formæ in subiecto apto quidem re-
cipere talem formam, sed non causare eam per
modum causæ materialis, verbi gratiâ, privatio
animæ rationalis in materia, quam non potest
causare, benè tamen recipere: Privatio strictè
sumpta est terminus ad quem corruptionis, &
terminus à quo generationis, latè sumpta non
verò sic, sed est terminus ad quem annihilatio-
nis & à quo creationis. Secundò dividitur pri-
vatio duplicitèr, alia enim est privatio in sub-
jecto apto nato recipere formam negatam, seu
quæ habet inclinationem naturalem ad formam
negatam: qualis est privatio visus in oculo cæ-
ci; alia est privatio formæ in subiecto non ha-
bente naturalem inclinationem ad formam, ca-
paci tamen ejus, ut privatio albedinis in parte,
paries etenim est indifferens ad recipien-
dam tam albedinem quàm nigredinem.

Tertiò dividitur privatio à Scoto in
privationem secundum genus, & privationem
secundum se vel non secundum genus: Pri-
vatio secundum genus est negatio in subiecto
apto nato, secundum rationem genericam re-
cipere talem formam, licet ei secundum ratio-
nem specificam repugnet talis forma, ut negatio
visus in talpa, quâ dicitur cæca secundum Phi-
losophum 5. Met. cap. de privatione. Privatio
secundum se, est negatio in subiecto apto nato
recipere formam, non solùm secundum ratio-
nem genericam, sed etiam secundum rationem
suam propriam & specificam, ut privatio visus
in homine, qui est aptus natus recipere visio-
nem, non tantùm secundum quod est animal,
sed etiam secundum quod est tale animal in
specie, sed revera licet privatio in genere vel
secundum genus vocetur privatio, vix tamen
dicenda est privatio in rigore & propriè lo-
quendo, unde potius erit negatio secundum ge-
nus, alioquin nulla erit negatio in genere, quia
quælibet poterit vocari privatio, verbi gratiâ,
negatio formæ ignis in me, quæ poterit dici
privatio in genere, quia sum capax illius secun-
dum gradum entis vel substantiæ, quare etiam
frequentèr accipiuntur pro eodem. His itaq;
prænotatis Circa primam partem tituli non
desuerunt Authores, qui negarent omnes omni-
nò privationes, sed eas tantùm à nostro intelle-
ctu fingi assererent, ita Soncinas, & plures alii
agentes de ente rationis, verumtamen

Dico I. Dantur à parte rei privationes
nullo cogitante intellectu. Hæc est Scoti l. d. 23.
q. un. n. 8. & 5. Met. quæ proinde

Probatur primò: Autoritate San-
ctorum Patrum id conantium ex Sacra Scriptu-
ra deducere, & maximè D. Augustini in cap. 1.
Genesis, ubi ait: *Aliud est lux, aliud illa privatio-
nes, quas in contrariis tenebris ordinavit Deus;* ergò
ex mente S. Augustini datur privatio à parte
rei.

Probatur secundò ratione:
Altera propositio contradiçtoriarum nec-
cessariò est vera formalitèr, sed hæc duæ propositio-
nes

iones sunt contradictoriae, paries est albus, paries non est albus: quod est esse privatum albedine, quae ambae intelliguntur formaliter, ergo. Confirmatur: Quia dicere, aërem esse tenebrum, non est aliud, quam dicere, aërem non habere lucem, sed hoc secundum verum est omnino à parte rei formaliter; ergo & primum. Notandum tamē, quod, quando assero, esse privationes per se esse, me non intelligere se esse vel dari proprie, prout significat existentiam rei positivam, sed abusive: quatenus videlicet, licet positivè non existat, adhuc tamen nullo cogitante intellectu habeatur, quare dici potest negatio realis, vel privatio realis, non verò ens reale positivum vel privativum, non quidem primum, quia hoc in terminis repugnat, cum ens reale dicat positivam entitatem in suo conceptu formali, per quem primò distinguitur à non ente, & ente rationis, ut proinde Aristoteles I. Physicorum 75. privationem vocet non ens, non verò ens reale positivum vel privativum. Sed contra hoc

tas potentiae visivae, sed solum in obliquo, quod est negatio potentiae visivae in subjecto habente capacitatem illius potentiae, ergo. Deniq; aptitudo potentiae visivae non expellit potentiam visivam, privatio verò expellit; ergo privatio non dicit directè, & in recto potentiae aptitudinem. Sed in contra

Arguitur: Per quodcumq; aliquid ab alio essentialiter distinguatur, per hoc etiam essentialiter constituitur, sed privatio essentialiter distinguatur à negatione per aptitudinem subjecti; ergo etiam essentialiter constituetur per ipsam aptitudinem, & consequenter privatio importabit in recto habitudinem, seu aptitudinem ad subjectum. R. dist. ma. Per quodcumq; aliquid ab alio essentialiter distinguatur, si utrumq; vel alterum sit positivum absolutum, concedo ma. si sit privativum vel relativum & connotativum, nego ma. & consequentiam. Itaq; secundum probabilem opinionem privatio & negatio, non distinguuntur essentialiter, sed tantum penes connotata, quemadmodum dicitur, quod generatio formae, & ejus creatio in principali significato, sed tantum penes connotata, ex eo scilicet, quod generatio connotet subjectum, non sic creatio. Sed contra solutionem adhuc

VIII.

Argumentum in contrarium.

Instatur: Illud est de essentia alicujus, sine quo alterum concipi nequit, neque intelligi vel esse; sed privatio nec potest intelligi, nec esse sine habitudine ad subjectum; ergo in illa essentialiter consistet, & consequenter illa aptitudo non erit tantum aliquod connotatum; probatur mi. quia essentia privationis est privare subjectum. R. negando ma. quia multa esse nequeunt sine suis conditionibus sine quibus non, & tamen illa non sunt de essentia rei, deinde nec esse, nec intelligi possunt relationes sine extremis, & tamen extrema non sunt de essentia relationum. Itaq; connotativa omnia ex particulari sua ratione habent, ut duos conceptus importent, unum pro primario, alterum secundario, tali habitudine inter se connexos, ut unus sine altero intelligi non possit, & ab altera etiam minus principali significatione, auferatur etiam magis principalis, licet hic non constituantur in esse suo per illam significationem minus principalem.

Dico 3. Privatio realiter distinguatur à subjecto, in quo dicitur esse, ita ut privationes non sint ipsa subjecta positiva. Haec etiam est communis, &

IX.

Privatio realiter distinguatur à subjecto.

Probatur primò: Quia si privatio non distingueretur realiter à subjectis, sequeretur, quod non essent ab eis separabiles, sed hoc est falsum, ergo: probatur ma. quia nihil est separabile à se ipso: probatur mi. tum quia adveniente formà cessat privatio, tum si non essent separabiles, sequeretur, quod privatio & forma possent esse simul, nam si privatio albedinis nihil aliud est, quam paries, vel aliud subjectum, tunc poterit poni albedo in pariete, vel in illo alio subjecto, & sic manente subjecto, manebit quoq; privatio, cum aliud nō sit quam subjectum, & sic consequenter simul erunt privatio & forma. Notandum tamen, quod non velim dicere, quod distinguatur privatio realiter

VI. **Opponitur** Autoritas Aristotelis 2.

Anima 138. ubi docet: visum discernere lucem & tenebras, sed quod sensus discernere potest, est quid reale; ergo privatio si detur, erit quid reale, si non positivum saltem privativum; probatur mi. quia solum sensibile reale est objectum sensus; ergo: R. explicando & distinguendo author. Arist. Visus discernit tenebras perse, nego ma. per accidens, concedo ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaq; non vult Aristoteles, quod visus possit percipere tenebras, quemadmodum percipit lucem, sed solummodo negativè, quatenus videt ibi non esse lucem, unde ibidem Philosophus subdit, quod visus, licet percipiat lucem & tenebras, ait non similiter, id est non eodem modo, quia lumen positivè, negativè verò percipiuntur tenebrae.

Dico 2. Privatio est negatio formae in subjecto apto, ita ut negatio importetur in recto, aptitudo verò ad subjectum pro connotato. Ita Scotista communiter, & prima pars patet, tum ex dictis, tum quia consistit genere & differentià. Pro secunda verò parte probatur: Quia si privatio aliquid aliud importaret, maximè relationem realem vel rationis, distinctionis inter subjectum & predicatum, vel aptitudinem, aut ipsam formam contrariam, sed horum nihil importat in recto, ergo: probatur mi. quia privatio de se est negatio, ergo nec relationem realem, nec aptitudinem realem importare potest; deinde non potest esse forma contraria, quia materia nuda habet privationem omnium formarum, sed non habet tunc ipsas formas contrarias; ergo privatio non importat ipsam formam contrariam. Probatur secundò: Quia eo ipso, quod subjectum habeat negationem formae, & sit aptum ad recipiendam eam, & circumscripto quocumq; alio, habetur ratio privationis; ergo privatio directè importat negationem, & pro connotato habitudinem subjecti. Confirmatur, tum quia in definitione privationis à Philosopho 5. Met. 27. tradita, non ens, seu negatio ponitur in recto, & subjectum in obliquo: tum quia rectè dicitur, quod caecitas sit negatio potentiae visivae, & non dicitur rectè, quod caecitas sit capaci-

litèr à subiecto distinctione reali, quæ est proprietas entis Metaphysici, quæ versatur inter extrema realia positiva, sed distinctione eà reali, quæ etiam non identitas dicitur, seu negativa, & versatur inter ens & non ens, vel inter non ens & non ens. Attamen

X.
Opponitur &
soluitur
Arist.

Opponitur Autoritas Scoti lib. I. Phys. q. 18. ubi dicit: privationem non esse aliud, quàm materiam privatam; ergò privatio non distinguitur à subiecto, cui inesse dicitur. Sed R. Doctorem tantum velle materiam, ut privatam reduplicativè non distingui à privatione, quod verum est, non verò, quòd materia privata specificativè non distinguitur à privatione.

Instatur: Materia specificativè sumpta secundum se, secluso quocunq; alio non habet formam, & est tamen capax formæ; ergò materia specificativè sumpta, est ipsa privatio, & consequenter nulla solutio. R. dist. ant. est fundamentalitèr sine forma & ejus capax, concedo ant. formalitèr nego ant. & consequentiam. Itaq; in tali casu materia secundum sua prædicata essentialia in primo dicendi modo, nec dicit formam, nec privationem ejus, sed suam præcisam & nudam entitatem, quare argumentum peccat, ex eo quòd transeat à propositione negante, de prædicato finito ad propositionem affirmantem de prædicato infinito, quæ est sollemnissima fallacia, non sequitur enim materia non habet formalitèr formam, & est formalitèr capax ejus; ergò est formalitèr privata formam, quemadmodum non licet dicere, Petrus essentialitèr non est doctus; ergò essentialitèr est non doctus, & sic de aliis.

Urgetur: Materia per absolutam Dei potentiam non potest separari à privatione; ergò non est de ejus essentia; probatur ant. quia si posset separari, deberent posse omnes formæ introduci, quarum sunt privationes ibi, sed illæ non possunt introduci, cum sint infinitæ, ergò. R. dist. ant. non potest separari collectivè simul ab omnibus privationibus, transeat, ant. distributivè, nego ant. Itaq; ut dicatur realitèr distingui privatio à materia, non requiritur, quòd collectivè omnes simul separentur, sed sufficit quòd distributivè, seu divisim.

XI.
Privatio ne-
quit intendi,

Quæres, An privatio possit intendi vel remitti? R. ex D. quodl. 18. n. 3. §. Ex isto, negativè, nam loco citato dicit privationem secundum se non dicere magis vel minus, sed ratione consuetudinum, quibus privat. &

Probatur ratiòne: Quia non sunt plures relationes in eodem fundamento ad eundem terminum simul; ergò nec plures privationes ejusdem formæ in eodem subiecto simul; probatur consequentia: tota ratio, cur non dentur plures relationes ad eundem terminum est, quia tales superfluerent, sed sic est planè in proposito, ergò. Confirmatur, quia sola qualitas secundum Philosophum suscipit magis & minus; ergò de aliis id dicendum non est.

QUÆSTIO II.

An, quomodo & quando privatio principie corpora naturalia?

Prima pars tituli difficultatem non habet inter Peripateticos, tanquam dogma enim Philosophicum admittum est ab omnibus, privationem principiare, & quidem per modum termini à quo agens naturale progreditur ad introducendam formam, ita, ut si quis contrarium assereret, multa indecisa relinquere deberet, quæ alioquin in Philosophia tractantur, quod non parum bonam inter discurrendum intelligentiam minueret. Itaq; pro secunda parte tituli hinc oritur difficultas, ex eo, quia cum generatio accidentalis fieri possit in eodem instanti, quo fit subiectum, nam sicut dicit D. Augustinus, si sol ab æterno fuisset, ab æterno luxisset, & si in eodem instanti fuisset productus aer, illum tunc illuminasset, quemadmodum etiam in principio creavit Deus corpora cœlestia, idèd controvertitur, quomodo tunc privatio fuerit harum generationum principium, cum privatio nunquam præcesserit? Circa quam difficultatem aliqui ut Averfa, Huradus asserunt, non esse necessarium, ut privatio tempore præcedat in materia formam, sed sufficere quòd præcedat tantum prius naturam, itaq; si non positivè, saltem negativè, id est in quantum privatio præcessisset formam, si non fuisset ab agente extrinseco introducente formam in materiam, pro eo instanti impedita. Alii è contra requirunt, quòd ad quamcunq; generationem necessariò præcedat tempore, ego verò media incedam viam, conformitèr ad ea, quæ promissi agendo de principiorum numero respondendo ad objectionem ordinariam, desumptam ex generatione colorum, in quibus non videtur, quòd ulla præcesserit formam privatio. Itaq;

Dico I. Generationem (quatenus productio est quacunq;) non est necesse, præcedere privationem tempore, sed sufficit, quòd præcedat naturam negativè. Hæc est conformis principii Doctoris 2. d. 1. q. 2. §. Respondetur & probatur, quoad primam partem: Quia si DEUS de novo produceret materiam in instanti A, & in eodem instanti applicaret ipsi ignem, sic quòd posset formam suam in illa producere, talis productio esset vera generatio, ut productio est, ut patet ex D. August. 6. de Trinitate c. 7. ubi ait: quòd si sol esset ab æterno, etiam ab æterno esset tamen & splendor: sed in tali casu privatio non præcederet tempore formam, ut patet, quia in eodem instanti produceretur forma quo materia; ergò ad generationem, ut productio est, non requiritur, quòd privatio præcedat tempore formam. Confirmatur: Primò, quia in tali casu ista productio distingueretur à creatione; ergò esset vera generatio; probatur ant. quia illa productio fuerit dependentèr à subiecto, seu à materia, sed omne quòd fit dependentèr à materia, distinguitur à creatione, ergò. Confirmatur secundò: Quia generationem vermis ex speciebus sacramentalibus non præcedit privatio in materia tempore formam vermis, ut communiter tenent Theologi, quia in eodem instanti producitur à Deo, quo introducitur vermis.

Dices:

III. **Dices:** Doctor in 4. d. 11. q. 4. dicit: creationem, & generationem differre penes terminum à quo, sed creatio habet pro termino à quo negationem extra genus, id est nullo subiecto inexistente; ergo generatio debet habere negationem in genere, seu in subiecto, tempore antecedentè ad formam existentem. **R.** Generationem & creationem differre penes terminum à quo, quatenus terminus à quo creationis, est negatio totius rei creatae, ut nec quidem subiectum præcesserit prius; terminus vero à quo rei generatae, quatenus est negatio ipsius, non tamen ita, quin materia saltem prius naturà præcesserit formam generatam, nec aliud vult Doctor subtilis.

IV. **Probatur Conclusio** quoad partem secundam: Quia privatio, ut est principium generationis per modum termini à quo, debet aliquo modo præcedere formam, sed non tempore; ergo naturà, non quidem positivè, quia quidquid est prius positivè naturà alio, est simul tempore cum ipso, quia plura instantia naturæ includuntur in unio instanti temporis, & sic si privatio esset prior naturà positivè, quàm sit forma, esset simul tempore cum forma, quod implicat, cum nunquam simul esse possint, quæ sibi privativè opponuntur.

V. **Dices:** Privatio principiat, quando recedit à subiecto, seu per sui primum non esse, sed privatio in sensu negativo semper convenit materiæ, nec unquam recedit ab ipsa; ergo ut præcedit negativè non potest esse principium generationis per modum termini à quo. **R.** negando mi. quia privatio negativè præcedens etiam recedit à materiæ, in quantum tunc cessat connotare materiæ aptam ad recipiendam formam possibiliter, pro illo instanti, pro quo insuisset materiæ positivè.

VI. **Dico 2.** In Generatione quatenus mutatio est, debet necessariò præcedere privatio tempore ipsam formam introducendam. Hac est etiam conformis principiis Doctoris 2. d. 5. q. 2. & in 3. d. 2. q. 3. Et

Probatur Conclusio: Quia Generatio ut mutationem dicit, requirit ut subiectum, quod transit ad formam, aliter se nunc habeat quàm antè se habuit, sed si non præcederet privatio tempore formam, non aliter se haberet nunc, quàm antè; ergo necessariò debet præcedere tempore; probatur minor, quia nihil aliter se dicit habere nunc quàm antecedentè, nisi ratione alicujus ipsi inexistents tunc, quod nunc non inexistit, sed non præcederet tempore nihil ante extitisset, quod nunc non existeret; ergo tunc aliter se non haberet. & consequenter in generatione, in quantum dicit mutationem, necessariò præcedere debet privatio tempore, per quod patet, quomodo reconciliari possint ambæ extremæ sententiæ, si dicas unam velle privationem non debere præcedere tempore generationem, in quantum est productio, pro ut contradistinguntur à creatione, & alteram eam debere præcedere generationem, quatenus hæc dicit mutationem, & hoc sat probabile est, tantum voluisse Aristotelem, qui tradidit, & explicavit principia generationis defacto fieri

F. Amandi Hermann Physica.

solita, quæ semper fit cum mutatione: Verumtamen contra hanc eandem conclusionem

Arguitur: Privatio principiat per suum non esse; ergo non principiat per modum termini à quo, sed potius per modum termini ad quem, cum non esse acquiratur; probatur ant. quia non principiat per suum esse; ergo per suum non esse: probatur ant. privatio per suum esse impedit generationem, ne fiat, ergo: probatur ant. quia quàm diu est privatio, non potest esse forma in subiecto, alioquin essent forma & privatio simul. Sed **R.** Negando ant. cum sua probatione, ad cujus probationem dico, privationem principiare generationem per suum esse non quomodocunq; , sed per suum esse recedens, quatenus nimirum auferretur ac non tollitur, & per hoc suum esse non impedit generationem, sed potius promovet, quàmvis impediat suum esse permanens, nec aliud volunt sequentes probationes.

Instatur: Privatio non tantum dicit negationem formæ, sed etiam aptitudinem subiecti in quo est, sed illa aptitudo non recedit in generatione; ergo privatio non principiat per suum esse recedens, sed etiam permanens cum aptitudo adhuc maneat. Sed **R.** negando ma. quoad alteram partem, ut patet ex dictis supra, quia privatio sicut non constituitur essentialiter per aptitudinem, ita nec per eam principiat, sed potius per negationem: quia per hanc tantummodò opponitur formæ, non verò per aptitudinem cum illa stet cum forma, utpote quæ se habet ex parte principii materialis, non ex parte principii privativi.

Urgetur: Si privatio concurreret in quantum negationem formæ dicit, potius deberet exprimi per negationem, quàm per privationem; ergo non per negationem formæ, sed etiam per aptitudinem principiat, quia per hanc distinguitur à negatione. **R.** negando ant. nam quòd potius exprimitur per privationem hoc principium, quàm per negationem, inde provenit, ex eo quòd negatio non dicat connotationem ad subiectum, sed indifferens sit ad illud, unde ne ambigendi occasio præberetur, potius sub ratione privationis exprimitur, quàm sub ratione negationis & convenienter: quia cum reverà hæc negatio formæ, à quâ agens naturale progreditur ad formam in subiecto reperitur, & formam duratione præveniat planè nomen privationis sibi vendicat. Ut ad tertiam partem tituli progrediar, in qua quaeritur, quando principiat, plures fuerunt olim etiam ex Scotistis, qui asseruerunt, quòd principiet tunc privatio, quando est, unde nè contradictoria cogantur admittere, recurrunt ad multa instantia, & signa naturæ, verumtamen, quia instantia, & signa naturæ non faciunt, ut contradictoria in eodem instanti temporis non sint simul, ut præclare probat fuscè Maffrius, idè potius oppositum sentiendum puto, ad evitandam tamen obscuritatem & nè paulò dictis contravenire videas, idè advertendum longè diversum esse quaerere per quid privatio principiet & diversum, quando principiet, unde licet antecedentè dixerim, quòd principiet per suum esse, non quomodocunq; , sed quatenus tollitur & auferretur, idè nunc

VII.

Argumentum in contrarium.

VIII.
Privatio
principiat,
quando non
est.

Dico 3. Privatio principiat mutationem actus, quando ipsa privatio non est. Hæc est communior, ut testatur Maftrius, & colligitur ex Scoto 2. d. I. q. 5. & alibi.

Probatur Conclusio: Quia privatio tunc principiat mutationem, quando actu est mutatio, sed quando est mutatio, tunc non est privatio; ergo privatio principiat, quando non est: patet ma. quia actu principiare, & actu principari sunt correlativa, ita ut unum sine altero esse non possit: probatur mi. quando actu est mutatio, est etiam forma, quæ acquiritur, subiectum namq; mutari aliud non est, quàm nunc aliter se habere, quàm ante se habuit per novam formam, sed quando est forma, non est ejus privatio; ergo quando est mutatio, non est privatio, & consequenter principiat, quando non est.

IX.

Dices: Sic posset quoq; dici, quòd mutatio principietur quando non est, cum non sit major ratio de uno ac altero, sed mutatio non potest principari, quando non est; ergo nec poterit privatio principiare, quando non est. R. negando sequelam, disparitas est, quia privatio principiat per modum termini à quo, mutatio verò principiatur veluti realis transitus à termino à quo, ad quem: adeoq; esse nequit, ut principietur, quando non est, cum principari transitum aliud non sit, quàm incipere transitum, nihil verò potest dici incipere quod non est.

Instabis: Nullum principium potest principiare, quando non est, nec ulla privatio potest esse, si principium non sit, ergo. Sed R. dist. ant. Nullum principium positivum, concedo, negativum, seu privativum, nego ant. & consequentiam. Itaq; licet semper principium positivum debeat esse, dum res principiat, de illo quod tantum negativè concurret, hoc non est necessarium: quia hujus principii particulare est, ut dum res principiat, auferatur & tollatur, ita ut non sit, quia alium principian- di modum non habet, quàm ut præcedat immediatè mutationem. Sed Contra Conclusionem directè

X.

Opponitur ex
Met. 2. ubi ait:
quod abicitur:
Aristoteles.

Opponitur Autoritas Aristotelis 4. Met. 2. ubi ait: *abiciens habet aliquid ejus quod abicitur*: & alibi docet, id, quod fit, nondum esse, dum fit, sicut etiam id quod corrumpitur; ergo etiam privatio dum abicitur, seu dum principiat, esse debet, & consequenter principiat, quando est. R. Aristotelem ibi loqui de rebus, quæ generantur & corrumpuntur subjectivè, idcirco, quòd id, quod fit, non sit in esse completo & perfecto, & contra id, quod corrumpitur esse, quantum ad materiam scilicet; Vel dicito, Aristotelem in primo loco loqui de mutatione successiva, in qua semper aliqua pars formæ post aliam abicitur, prout contingit in alteratione accidentali.

XI.

Argumen-
tum ex ratio-
ne.

Arguitur ex ratione: privatio principiat quando expellitur à forma, sed expellens & expulsum sunt simul; ergo privatio etiam debet esse dum expellitur. R. dist. mi. sed expellens & expulsum debent esse simul, si se expellant efficienter, aut per verum contactum, concedo mi. si se expellant per suam simplicem po-

sitionem, prout facit forma, concedo mi. & nego consequentiam. Itaq; quando forma se ipsam ponit in materia, tollitur privatio, quod adhuc non requirit, ut dicantur simul esse.

Instatur: Illud debet necessariò esse de quo verè prædicari & affirmari potest in recto & tempore præsentis, sed de privatione, dum privatio prædicatur in recto ejus principiat, ergo: probatur, quia etiam secundum dicta privatio principiat, dum recedit, sed hoc est in presenti, ergo est defacto, quia illud quod non est, non potest dici recedere, seu quòd recedat. R. negando mi. ad cujus probationem dico, quòd recedere non significet esse, sed fuisse, licet verbo de presenti exprimat, quare cum privatio recedit, quando principiatur mutatio, privatio tunc non est, sed immediatè ante à fuit: ita quòd idem instans mensurans primum esse generationis mensurat, etiam primum non esse privationis & generationi est intrinsecum, privationi verò extrinsecum, & sic cum primò est mutatio, primò non est privatio, & in hoc sensu potest fieri transitus à termino non existente.

Urgetur: Sequeretur, quòd si etiam in hoc sensu possit fieri transitus à termino non existente, quòd subiectum semper mutaretur, sed hoc est inconveniens, ergo: probatur sequela, quia subiectum sub forma existendo continuum habet transitum ab ipsa ad eam, ergo. R. negando sequelam; Quia hoc tantum verum est quando privatio non est primò, quia mutatio dicit respectum ad formam, ut novam, & non ut jam possessam.

QUÆSTIO III.

Complectens plura dubia de Privatione.

Solent nonnulli, quæ fufissimis quæstionibus multa adhuc de privatione tractant, quomodo videlicet opponatur cum formis? tollatur? specificetur? & utrum detur privatio privationis, ac his similia? verum tamen existimo, rem tantæ utilitatis non esse, ut quis prolixo tractatui immoretur, nè tamen planè omittatur, per nonnulla quæ sita rem expediam totam, sic itaq;

Quæres, An privatio possit tolli per solam formam oppositam, nec ne? R. Si privatio consideretur, ut est negatio, tolli quidem potest totam absq; forma, non tamen totalitèr, si verò spectetur, ut est privatio quid distinctum, ad minus per connotata, & totam, & totalitèr tolli per formam eamq; solam. Ratio resolutionis quoad primam partem, est, quia in illa consideratione non distinguitur, sicut nec aliàs à negatione, nisi ratione connotationis ad subiecta, ita ut unius subiectum sit aptum natum, & alterius sit ineptum, ad habendam formam, sed potest tolli ineptitudo ista; ergo tunc tollitur tota privatio, ut est negatio, nondum tamen totalitèr, quia necdum inept forma, adeoq; adhuc est carentia. Ratio secundæ partis est, quia in illa consideratione privatio & forma sunt opposita, inter quæ non datur medium respectu subiecti capacis; ergo necessariò alterum eorum inept: ant. patet: probatur consequentia. Quia idè dicuntur aliqua

aliqua immediate opposita, quia nihil potest inter ea mediare in eodem subiecto, sed inter privationem & formam oppositam, nihil mediat, ut dicebat antecedens; ergo per positionem unius, necessarium tollitur alterum, & consequenter si ponatur forma, tollitur privatio tota & totaliter.

Quæres 2. An privatio tollat formaliter formam? R. Si per se formaliter intelligatur, quasi deberet tolli per formam aliquam, negativè. Si verò per se formaliter intelligatur se ipso tollere, & non per aliud à se productum, efficienter, affirmativè. Ratio resolutionis, quoad primam partem est, quia privatio non est aliqua forma, nec privativa, ut patet ex dictis, sed oppositum formæ; ergo in illo sensu nequit tolli formaliter. Ratio partis secundæ est: Quia posita sola privatione, nullo alio tollitur forma, & definit totaliter in subiecto; ergo si hoc sufficit, ut dicatur tolli formaliter forma, hoc faciet privatio, ergo.

Quæres 3. An in materia unica tantum sit privatio vel plures? R. conformiter ad dicta, quod privatio & negatio, non distinguantur nisi penes connotata, esse plures privationes, Ratio est, quia sunt plures carentiæ, sed carentia est privatio; ergo plures privationes, quod si diceretur verò, privationem esse ipsam aptitudinem, contrarium foret sentiendum, utpote, cum generalis aptitudo, & potentia materiæ sit unica, ut ex dictis constat.

Quæres 4. Unde privatio desumat suam unitatem & distinctionem? R. Privationem (idem est iudicium de negatione) desumere suam unitatem & distinctionem specificam à re negata, numericam verò ab unitate numerica formæ & subiecti, ita quod uno, vel altero deficiente non sit amplius eadem privatio. Ratio resolutionis quoad primam partem est, quia non est aliud à quo privatio congruentius desumat suam unitatem & specificationem, ergo: probatur ant. quia non sumit suam unitatem à subiecto in quo subiectatur; ergo à nullo alio: patet consequentia, quia præter rem negatam non est aliud à quo potius deberet desumere suam unitatem & distinctionem, quam à subiecto; probatur ant. Quia si privatio distingueretur penes distinctionem subiecti, sequeretur, quod privatio albedinis in pariete, & privatio albedinis in Cygno distinguerentur specie, sed non est ulla necessitas multiplicandi has specificas distinctiones, ergo. Ratio resolutionis quoad secundam partem est: Quia si eadem numero esset privatio albedinis in homine & in Cygno, sequeretur, quod destructa privatione albedinis in homine, destrueretur privatio al-

bedinis in Cygno & e contra, sed hoc est falsum, ergo.

Quæres 5. An detur privatio privationis, vel negatio negationis? R. absolute negando: Ratio est multiplex. Nam in primis si daretur privatio privationis, non esset ratio, quare non daretur privatio peccati in omni subiecto, in quo est forma opposita, cum peccatum sit privatio, admissio adhuc autem isto, fatendum esset in Deo esse privationem peccati, quod est impium & blasphemum, ergo; probatur, quia tunc Deus esset natus aptus habere peccatum, quod impium esse, quis non videt? Deinde sequeretur, alterum contradictionis membrum non posse verificari, de quolibet contra communem omnium sensum. Tertio Absentiæ non est absentia, nec presentia presentia; ergo nec privationis est privatio: alioquin procederetur in infinitum, privatio autem est absentia formæ, seu alicujus positivi; ergo non datur privatio privationis. Quarto, tum quia nemo dicit, me habere privationem negationis visus vel cæcitatibus, tum quia ista multiplicatio privationum est omnino superflua, tum denique quia duæ negationes faciunt unam affirmationem, ergo.

Dices: Secundum modo dicta, hæc propositio est vera, non datur negatio negationis; ergo hæc est vera, datur negatio negationis; probatur consequentia, quia omnis propositio est affirmativa vel negativa, seu affirmativa vel negativa, sed illa est propositio & non affirmatio; ergo negatio, sed non alterius, quam negatio negationis; ergo datur negatio negationis; probatur mi. quia illa negatio negat dari negationem negationis; ergo ipsa est negatio negationis, & consequenter datur talis, quia negatio quæ negatur homo, est negatio hominis, & negatio quæ negatur asinus, est negatio asini, & sic de cæteris; ergo negatio quæ negatur negatio negationis, est negatio negationis. Hoc argumentum pomposum est, videturque gravidum esse, sed parturient, montes nascetur ridiculus mus. Unde R. faciliter, concedendo ant. & distinguendo primum consequens; ergo datur negatio negationis mentaliter, & dependentè ab intellectu, in iudicio & conceptu mentis, concedo consequentiam, datur negatio negationis extra iudicium & conceptum mentis, à parte rei independentè ab operatione intellectus, ut vult replica, nego consequentiam. Unde consequentia illa est similis huic, non datur alius Deus; ergo datur alius Deus, vel potius sic, non datur negatio Dei; ergo datur negatio Dei.

VI.

Non datur privatio privationis.

VII.



DISPUTATIO V.

DE UNIONE.

DE Unione in presenti disputatione agere, exigit non modo necessitas, ut pote cum sine huius cognitione non satis intelligantur materia & forma, veluti principia in actu secundo cuiuscumq; compositi substantialis, sed etiam, quia ipsa licet non sit principium, ut quod constitutum alicuius, est tamen principium ut quod, quae à Divo Aurelio Magno Augustino epist. 174. vocatur connexio & vinculum naturale, & enarr. 1. p. Pf. 69. familiaritas conglutinationis & compaginis: & expof. Pf. 130. unitas confortii: quare hic etiam de ea tractant Authores communiter, quos imitandos puto, cum ad declinandum non occurrat ratio, sit igitur

QUAESTIO I.

Quid sit unio? & in quo formaliter consistat?

I.
Ingressus ad
quaestionem.

Hæc quaestio jam omne contentiosum forum subterfugit quantum ad hoc, quod materia & forma intimè conjungi & componi debeant: ad constituendum totum aliquod compositum, contentione tamen longævâ altercatur usq; adhuc, num mediante aliquo vinculo superaddito id contingat? an verò immediatè sine ullo prorsus ligamine? In quâ materia Gregor. Arim. Marsilius, Connimb. Hurtadoz & plures alii, post Occamum existimant, unionem aliud non esse, quàm ipsas res intimè præfentes, & non distantes, adeoq; nihil putant ipsis superaddi. Econtra verò Doctor 2. d. 3. q. 4. Neutristæ post ipsum, & Thomistæ principaliores, cum Scotistis, aliquid superadditum, unionem defendunt. Inter se tamen denud non conveniunt in assignando, quid nam sit illud, nam Neoterici absolutum esse putant, Scotistæ verò respectivum, & id quidem tale, quod extrinsecus adveniens appellatur. Antequam verò hoc resolvam, ad priorem sententiam cum secunda

II.
Datur unio.

Dico I. Datur aliquod distinctum à materia & forma, per quod formaliter ipsæ uniantur. Ita Communis contra primam sententiam: &

Probatur primò: Autoritate D. Bernardi, Sermon. 71. in Cant. ubi ait, ubi eam vocat copulationem, conjunctionem, consensionem, & tandem dicit: *Duas oportere esse ad minus naturas & essentias, ut sit conjunctio seu unio.*

Probatur secundò: Quia non potest aliquod prædicatum novum competere alicui de novo, sine aliqua mutatione reali, sed materiae & formæ competunt de novo prædicata nova, videlicet quòd sint unitæ, quòd sint constituentes; ergò accipiunt etiam aliquam novam formam, sed illud novum non sunt ipsæ entitates materiae & formæ; ergò est aliquid superadditum: probatur subsumptum: quia si essent ipsæ entitates, deberent manere quàm diu manent entitates, sed non manent, ergò; probatur, quia si manerent tam diu, quàm diu manent entitates, deberet etiam tam diu manere compositum, sed compositum non manet quàm diu sunt entitates, ergò: probatur ma. quia tam diu manet compositum, quàm diu manent

partes unitæ, sed hîc manerent partes unitæ, quia esse unitum nihil est præter entitates, quæ in se manent, ergò: probatur etiam mi. superior, quia manet corpus Sancti Francisci, & etiam anima secundum entitates, sicut etiam plurium aliorum Sanctorum & beatorum, & tamen non manet compositum Sancti Francisci, ergò. Probatur: Quia nullus fit transitus de contradictione in contradictionem, nisi mutatione aliqua factâ, sed materia & forma transeunt à non unitis ad unita; ergò debet necessariò intercedere aliqua mutatio nova; subsumo, quandocumq; aliquid de novo mutatur, debet se nunc aliter habere, quàm ante, sed non potest aliter se habere, nisi ipsi aliquid superaddatur, ergò &c.

Opponitur Autoritas Aristotelis §.

Meth. t. 15. & 2. de anima t. 2. ubi docet: materiam & formam immediatè uniri, quia sunt per se actus & potentia, ita ut ex ipsis fiat unum per se, sed si unirentur mediante unione superadditâ, non unirentur immediatè, nec fieret ex eis unum per se; ergò non uniantur mediante unione superadditâ; probatur minor, quia tunc non sit immediatè aliquid, quando aliquid aliud prærequiritur tanquam medium, sed &c. ergò. R. explicando Aristotelem, videlicet eum aliud non velle, quàm quòd materia & forma uniantur sibi immediatè ut quod, non verò ut quod, seu quòd nullum medium tale, quòd prius informaretur à forma quàm materia, nec aliquid prius recipiatur in materia, quàm forma, ratio autem uniendo quo, non tollit immeditationem, ut patet in pluribus aliis actibus, nam ut oculus meus videat objectum aliquod, necessariò debet mediare visio veluti ratio vivendi, & tamen oculus non mediatè, sed immediatè videt.

Instatur: Si unio mediaret inter materiam & formam, tanquam aliquid superadditum, deberet esse prior in materia quàm forma, sed hoc dici nequit, ergò: probatur min. quia unio secundum dicenda, est respectus, sed omnis respectus debet esse posterior, quàm sint extrema; ergò unio non potest dici prior esse in materia, quàm sit forma. R. I. negando ma. quia pro prioritate naturæ forma est prior in materia, quàm sit unio, & pro illo signo forma non est nisi fundamentalitèr unita, formalitèr verò per ipsam unionem pro

pro instanti sequenti, quemadmodum etiam dicimus de distinctione, quod duo aliqua extrema se ipsis primò sint fundamentaliter distincta, & de duobus albis, quæ primò sunt fundamentaliter similia, formaliter verò per similitudinem superadditam. Veruntamen, quia difficultates non pauca oriri possunt ex hac distinctione & responsione, si enim sunt fundamentaliter unita, non videtur requiri amplius alia aliqua, & si addit illa fundamentalis unio extremis aliquid, duæ erunt uniones diversæ in eodem composito, una fundamentalis & altera formalis, si verò nihil addit, tunc non possunt magis dici unita, quam quando extrema erant separata, cum tunc essent fundamentaliter unita, id est, formaliter unibilia, propter istas inquam difficultates. R. 2. concessa ma. negando mi. cum minori probationis suæ, quia universaliter verum non est, quod relatio debet esse posterior, quam sint sua extrema, ut patet in primis de Relationibus Divinis, in quibus datur prioritas originis inter Patrem & filium, cum tamen Pater constituitur per relationem ad Filium, deinde etiam in creatis, apud omnes ponitur, quod actio sit relatio, & tamen actio est prior, quam sit terminus; Unde videtur mihi posse distingui minor probationis: respectus debet esse posterior, quam sint extrema, si respectus non sit ratio constitutiva extremorum, concedo mi. si sit ratio constitutiva extremorum sub determinata & particulari ratione & denominatione, nego mi. & consequentiam.

Urgetur: Magis est forma proportionata ad materiam, quam unio, ergò unio nullo modo poterit esse prior in materia, quam forma: patet ant. consequentia probatur, quia illud non esse prius in materia, quod non potest facere per se primò unum compositum, sed materia non potest facere unum per se primò compositum cum unione; ergò unio non poterit esse prior in materia. Sed R. dist. ant. magis proportionata est forma ad materiam, quam unio in ratione extremi, concedo ant. in ratione vinculi & connexionis, nego ant. & dist. similiter consequens & nego consequentiam. Ad probationem respondeo dist. ma. non debet esse prius ut quod, concedo, ut quo, nego ma.

Replicatur: Unio non est ut quo prior in composito, quam sit alterum extremum, ergò nullo modo esse debet prior; probatur ant. quia datur aliquod compositum, in quo nulla est unio, ergò nequè dici potest prior ibi esse; probatur ant. quia Verbum Divinum dicitur unitum naturæ humanæ, & tamen in ipso nulla est unio, propter suam summam immutabilitatem & infinitatem, ergò. R. negando ant. cum sua probatione, ad Probationem de Verbo Divino R. dist. ant. Verbum Divinum dicitur unitum sine unione reali in Verbo subiectata, transeat ant. ad Ipsum terminatè, nego ant. & consequentiam. Itaque replica ista convincit, & probat conclusionem nostram, nam si in Verbo Divino debet aliquid admitti, quod Ipsum terminetur &

subiectetur in natura humana, nec aliàs dici possent unita multò magis inter materiam & formam, quæ de se sunt capaces ad respiciendos tales respectus. Nec valet recurrere ad improprietatem inter Verbum & naturam humanam, quia ex hac aliud deduci non potest, quam quod propter improprietatem unio sit futura supernaturalis, in proportionatis verò naturalis.

Dico 2. Unio non consistit in denominatione uniti; esse in materia cum forma orta ex negatione conjunctionis, cum cæteris formis sine ullo positivo superaddito; neg. in intima præsentia locali, neg. in applicatione tali. Hæc est contra nonnullos Recentiores; &

IV.
Unio in quo consistat.

Probatur quoad primam partem: Potest Deus materiam expoliare omni formâ substantiali, eamquè conservare sic expoliatam, sed in tali casu habet negationem omnis formæ, ergò denominatio uniti orta ex negatione conjunctionis cum cæteris formis, non sufficit, ut dicatur, unita huic vel illi formæ.

Secundò: Quia ex hoc sequeretur, quod defacto materia prima in me existens esset unita lapidi, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: probatur sequela, quia materia prima mea habet negationem conjunctionis cum forma ligni, canis & arboris, ergò si talis negatio sufficit, sequeretur quod defacto materia prima mea esset unita formæ lapidi.

Probatur secunda pars: Si unio non esset aliud, quam indistincta, sequeretur primò, quod anima rationalis posset se naturaliter reunire corpori, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia Angelus, imò ipsa anima potest se facere intimè præsentem corpori, ergò si unio non est aliud quam intima præsentia, sequeretur, animam naturaliter posse reuniri corpori, quod autem hoc sit conveniens asserere, inde probò: quia alioquin connaturaliter daretur resurrectio, quod adeò tutum non est. Deinde sequeretur, quod Christus Dominus in utero & natiuitate suâ, informasset uterum beatissimæ suæ Matris Virginis, in Resurrectione sepulchralem lapidem, in ascensione cælos, sed hæc esse inconvenientia, quis non videt? ergò: probatur tamen sequela, quia Christus Dominus fuit intimè præsens utero Matris suæ, lapidi sepulchri, & cælis, ergò si unio non est aliud, quam intima præsentia, sequitur, Christum Dominum iis fuisse Unitum.

Dices: Hoc non sequi, quia Christi Domini materia fuit jam sub alia forma, & forma lapidis, cælorum, sub alia materia, adeoque licet fuerit intimè præsens, non poterat tamen dici, quod esset iis unitus. Sed Contra primò: Illa negatio conjunctionis cum alia forma, non potest facere, ut aliquid dicatur alteri unitum, ut patet ex prima parte. Contra secundò: Materia Christi poterat uniri formæ uteri, lapidis, & cælorum, ut patet ex dictis: ut potè cum sit ejusdem rationis, & omnium formarum capax; ergò si unio non est aliud quàm

indistantia; cum tunc temporis habuerit indistantiam, habere debuit quoque unionem. Contra tertio: Si non fuit Christus unius lapidi, vel caelis, sequitur, quod sic probatur: quia Christo Domino repugnabat unio, & tamen non repugnabat indistantia, ergo non est indistantia. Ex hinc

VI. Probatur secundo eadem pars

ad hominem: Quia Authores huius opinionis vel intelligunt per non distantiam seu intimam praesentiam materiae & formae inter se, vel in ordine ad hunc locum; si primum, animam posse naturaliter resuscitare hominem, sed hoc est inconvenientissimum, nec dicere potest aliquis, id non posse, quia nequit conaturaliter reproducere corpus, quia pono casum de anima S. Francisci, Catharinae de Bonna & aliorum plurimorum Sanctorum, quod se faciant intime praesentes suis corporibus incorruptis, ergo in tali casu naturaliter resuscitabant totum hominem. Vel intelligunt secundum, tunc sequitur, quod homo toties moriatur, quoties perdit praesentiam localem, & toties iterum reviviscat, quoties denuo acquirit eam, quia toties homo moritur, quoties perdit unionem ad corpus anima, & toties reviviscit, quoties acquirit eandem, sed secundum ipsos, quoties perdit praesentiam localem, perdit unionem, ergo toties moritur & toties reviviscet, quoties acquirit eam.

VII.

*Unio non est
modus sub-
stantialis.*

Dico 3. *Unio materiae & formae non est quid absolutum substantiale, seu aliquis modus substantialis: Hoc est contra Recentiores Neotericos.*

Probatur primo: Quia posito quocunque absoluto in materia & forma, non intelligitur materia & forma unita, ergo unio non est quid absolutum substantiale: probatur ant. quia omne absolutum est ad se, sed per hoc quod res sit ad se, non intelligitur unita alteri, ergo posito quocunque absoluto, non intelligitur materia unita formae.

Probatur secundo: Quia si unio esset modus substantialis absolutus, materia prius substantialiter mutaretur recipiendo in se unionem, quam mutaretur per formam, sed hoc dici nequit, cum primo secundum omnes per formam mutetur, ergo: probatur ma. quia si in materia immediate ponitur, veluti causalitas quoad esse unitum, tunc certe debet esse prior quam sit forma, ergo materia prius mutabitur per unionem, quam per formam; si vero ponitur ex parte formae, tunc aliquid inconueniens sequitur, videlicet formam esse subjectum mutationis substantialis, quod in bona Philosophia male sonorum est; probatur tamen sequela, quia unio per se producitur per veram actionem distinctam ab actione, qua producitur forma, saltem in generatione hominis, cuius anima à Deo creatur, ut etiam ipsi Adversarii fatentur: ergo si per propriam actionem producitur & in forma recipitur, veluti in subjecto, forma ergo est subjectum mutationis substantialis, quia acquirit in se aliquid substantiale, quod ante non habebat, ergo.

Probatur tertio: Quia nulla est necessitas statuendi aliquid absolutum substantiale ad hoc, ut materia & forma uniantur inter se, ergo; probatur ant. quia si esset aliqua maxime ex eo, ut terminet actionem substantialem, vel ad fundandam relationem praedicalementalem unionis, aut ad salvandam, denominationem, quod sit modus substantialis substantialiter uniens, sed nulla harum urget, ergo: ma. est certa, nam propter istas rationes communiter Adversarii ponunt unionem esse quid absolutum substantiale; sed probatur iniquoad primum, quia actio unitiva non dicitur ideo praecise substantialis, quasi verò intrinsicè attingat terminum substantialem, sed tantum extrinsecè, eo quodammodo, quo generatio sumpta pro praevia alteratione dici solet substantialis, nam si per illam actionem unitivam aliqua substantia produceretur, tunc redit in contra probatio secunda, quia vel materia prius mutaretur per unionem, quam per formam, vel forma dici debeat subjectum mutationis substantialis: probatur minor eadem, quoad secundam partem, quia materia & forma sine aliquo superaddito habent sufficientem rationem fundandi, ex eo quod una sit per se potentia, & altera per se actus. Deinde si ad fundandam relationem unionis deberet aliquid substantiale admitti absolutum tanquam ratio fundandi, sequeretur, quod illud substantiale deberet esse in utroque extremo, quia qualis ratio fundandi, talis est etiam terminandi, sed hoc est contra Adversarios, quia alioquin deberent admittere duplicem modum substantialem. Nec propter tertium aliquid tale absolutum poni debet, quia unio non ideo dicitur substantialis, quasi verò in entitate sua esset substantia, aut modus substantialis, sed hoc est contra Adversarios, quia alioquin deberent admittere unam ad alteram, quemadmodum etiam unio hypostatica dicitur talis, non quod ipsa sit hypostasis, sed quia est ad hypostasim, & omnis actio dicitur substantialis, quae substantiam producit, non quod sit substantia, sed quod habeat pro termino substantiam. Sed in Contra

Arguitur: Si unio non esset substantia, materia & forma, non unirentur substantialem, sed hoc est falsum, ergo. Probatur ma. quia nihil potest uniri substantialiter per accidens, ergo. R. dist. ma. non unirentur substantialiter, id est, medià aliqua substantia, concedo ma. unirentur substantialiter, id est, non facerent unam per se substantiam, nego ma. & distincta similiter mi. nego consequentiam. Ratio patet ex paulò dictis, quia non dicitur unio substantialis, quod ipsa intrinsicè, & in entitate sit substantia, sed tantum extrinsecè, eo quod pro termino habeat substantiam.

Instatur: Unio debet esse proportionata cum partibus quas unit, sed partes substantiales sunt, ergo etiam unio debet esse talis. R. dist. ma. debet esse proportionata, hoc est sufficiens ad uniendum, concedo ma. debet esse proportionata in entitate, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaque dicitur unio sufficienter proportionata, ex eo

ex eo, quod sit ratio formalis uniendo extrema, sicut patet de pluribus aliis, quæ sibi proportionata dicantur, ex ratione actionis, non ex entitate.

Urgetur: Quæ intrinsecè includuntur in composito cum partibus componentibus, debent proportionari intrinsecè & in entitate, sed unio intrinsecè includitur in composito, ergo. *R.* concessa ma. dist. mi. unio intrinsecè includitur in composito, tanquam pars intrinsecè constitutiva, nego mi. tanquam vinculum, & nexis necessariò requisitus, concedo mi. & nego consequentiam.

DICO 4. Unio inter materiam & formam est quid accidentale, non tamen absolutum, sed respectivum de genere extrinsecus adveniens. Hæc in principiis Scotist. communis est. Et

Probatur prima pars ex dictis sufficienter, si etenim non est aliquid substantiale absolutum, sequitur quod debeat esse quid accidentale, cum ens primò sui divisione partiat in substantiam, & accidens.

Probatur ergo secunda pars 1. Quia si esset aliquod accidens absolutum, vel deberet esse de genere quantitatis, vel de genere qualitatis, sed nullam ex his esse potest, ergo. ma. patet, probatur min. & imprimis quod non sit quantitas, quia hæc, ut dixi in Logica, non subiectatur in materia nec in forma, sed in composito, ergo non potest esse de genere quantitatis, probatur consequentia, quia unio debet subiectari in materia vel in forma, sed quantitas non subiectatur in his, ergo quantitas non est unio.

Probatur etiam, quod non possit esse qualitas, quia si esset aliqua qualitas, maximè deberet esse dispositio prævia, hæc nequit esse, ergo. probatur mi. quia dispositiones, quas agens introducit in materiam, ut formam contrariam expellat, recipiuntur in toto composito, ergo adveniente novâ formâ, desinunt illæ dispositiones, ergo unio non est qualitas disponens, quia hæc debet manere cum nova forma.

Probatur secundò: Tum quia materia respicit prius formam substantialem quàm accidentalem, ergo etiam prius illi unitur, & consequenter, unio non potest esse aliquid accidens absolutum: probatur ant. quia prius & equaliter respiciunt se actus & potentia, quæ possunt facere unum per se, quàm cum quibus faciunt unum per accidens, sed &c. ergo: probatur etiam supra prima consequentia, quia actus eo ordine uniuntur materiæ, quo eam respiciunt: sed actus substantialis primò eam respicit, ergo prius unitur; tum ex dictis supra, ubi docui materiam non recipere formam mediante aliquâ potentia superadditâ.

Dices: Ea quæ sunt priora intentione, sunt posteriora executione, sed actus substantialis est prior intentione materiæ, ergo posterior executione, ergo materia in executione primò recipit formam accidentalem, quàm substantialem. *R.* dist. ma. si sint ejusdem ordi-

nis & rationis, transeat ma. si non sint, nego ma. Vel aliter si unum sine alio haberi non possit, concedo ma. si unum sit capax alterius absquè alio, nego ma. Itaque materia & forma sunt ejusdem rationis, & ordinis, ita ad se invicem proportionata, ut nullo indigeant alio medio ad hoc, ut sibi invicem uniantur, adeoq; non tantum intentione, sed etiam executione forma est prior, quàm quodcumq; accidens.

Probatur tertia pars: Quia illud est respectivum, cujus totum esse est ad aliud se habere, sed esse unionis est ad partes unitas, ergo unio est quid respectivum: ma. patet à sensu contrario, quia illud est absolutum, cujus totum esse est ad se, ergo. probatur mi. quia unio non potest concipi nisi per ordinem ad partes unendas vel unitas, ergo totum ipsius esse est ad partes, quæ sunt aliquid aliud ab ipsa unione.

Quod autem sit relatio extrinsecus adveniens, etiam probatur, quia illa est relatio extrinsecus adveniens, quæ positus extremis non necessariò resultat, sed unio positus extremis non necessariò resultat, ergo. probatur mi. quia materia & forma possunt Divinitus existere in rerum natura, absquè eo quod sibi uniantur, sed extrema relationum intrinsecus adveniens non possunt sic existere, quin statim resultaret relatio, ita quidem, ut nec Divinitus impediri possit, ergo unio non erit relatio intrinsecus adveniens, & consequenter, cum tamen sit ad aliud, erit quid respectivum de genere extrinsecus adveniens.

Dices: Ad relationem non datur motus, sed ad unionem datur motus, actio scilicet unitiva vel generativa, ut aliqui volunt, ergo unio non est relatio. *R.* dist. ma. ad relationem non datur motus, si sit relatio intrinsecus adveniens, transeat ma. si sit extrinsecus adveniens, nego ma. & consequentiam. Sed

Quæres: Ad quod nam prædicamentum hæc relatio pertineat? *R.* Quod possit dici, pertinere ad habitum, quia per illam dicitur materia habere formam, & forma haberi à materia, aut considerando eam ex parte materiæ collocari poterit ad Passionem, quia materia ratione ipsius transmutatur & quodammodo patitur: si verò consideretur ex parte formæ, ad actionem statuere valebis, quia ratione illius forma agit in materiam eam transmutando formaliter. Ita habet Doctor 4. d. 12. q. 1. sub C. idem quærens, ubi ait: quod unio ex parte subiecti se tenens reduci potest ad prædicamentum passionis, si passio non tantum dicat respectum ad agens, sed etiam ad formam informantem, unio autem se tenens ex parte formæ, reduci potest ad prædicamentum actionis, si actio non tantum dicat respectum agentis sed etiam informantis. Ex qua responsione & verbis Scoti, nova hæc oritur controversia, pro qua sit



QUÆSTIO II.

Utrum inter materiam & formam sufficiat una unio ad hoc, ut dicantur sibi invicem unita?

I.
Ratio diffi-
cultatis.

Ratio difficultatis proposita oritur ex communi loquendi modo, quo materia dici solet unita formæ, & contra forma dicitur unita materiæ, unde controvertitur, quandoquidem omnis denominatio nova debet oriri à nova forma, an materia sit unita formæ per eandem unionem, quæ forma est unita materiæ, an verò alia poni debeat ex parte materiæ, & alia ex parte formæ. Circa quam materiam Recentiores communiter asserunt, unicam sufficere unionem, ut sunt Suarez, Murica, Arriaga, Ruvius: Antiquiores verò Scholastici post Doctorem & Scotistas, contra duplicem requirunt unionem à Scotistis, simpliciter tamen recedit Basilius & ex parte Baro, id tamen Scotum docuisse, satis clarè patet ex textu paulò supra allegato, cum quo etiam ad quæstionem resolutivè

II.
Debet ad-
mitteri duplex
unio.

Dico: *Ad hoc ut materia & forma intrinsece constituant totum compositum, duplex admittenda est unio, una subjectata in materia, & determinata ad formam: & altera subjectata in forma, & terminata ad materiam.* Hæc est mens Scoti pluribus in locis, & communis Scotist.

Probatur primò: Quandocumque duo sunt relativa ejusdem denominationis, debent habere in se formam ea determinantem, tam bene ex uno quam altero extremo, sed materia & forma in composito denominantur relativè unita, ergò debent ambæ habere formam denominantem; patet ma. Quia omnes relationes primi & secundi modi, quæ fundantur super unum & multum, potentiam activam & passivam, seu actionem & passionem, per hoc distinguuntur à relationibus tertii modi, quòd semper habeant correlationes, ergò: patet etiam minor, qui tam materia dicitur unita formæ, quam forma unita materiæ. Confirmatur, quia non est ratio, quare relatio unionis poneretur potius in uno extremo & non in alio, ergò cum non sit ulla ratio, debet poni in utroque, si non sit ulla implicancia, quemadmodum non est ratio, quare inter duo alba poneretur similitudo, in uno extremo potius quam in alio.

III.

Dices: Disparitatem esse, quia inter duo alba resultat relatio extrinsecus adveniens, unio verò non est nisi relatio extrinsecus adveniens, quare major principalis argumenti non valet universaliter; Sed Contra, non est major ratio de una ac altera, ut patet de actione & passione, ubi activo & passivo, de habitu &c. quæ licet sint relationes extrinsecus advenientes, adhuc tamen fundant suas correlationes, nec dicas quòd non sit ratio fundandi in utroque extremo in relationibus extrinsecus advenientibus, quia cerrè quemadmodum habent duo alba rationem fundandi similitudinem, aut actio & passio: ita habet materia & forma, scilicet quòd una sit per se potentia & altera per se actus, & quamvis agens extrinsecum concur-

rat, hoc non impedit, quia etiam in actione & passione, seu in relationibus fundatis super actionem & passionem concurret agens extrinsecum, & per hoc tamen non spoliatus potentia generativa suâ ratione fundandi relationem, ergò nec debet spoliari materia, vel forma per agens extrinsecum.

Probatur Conclusio secundo:

Si materia & forma unica tantum unione unentur ad se invicem, sequeretur, quòd si illa subjectetur in materia, quòd forma informaret materiam & constitueret compositum absque ulla sui mutatione, sed hoc est inconveniens, ergò & illud ex quo sequitur: probatur sequela, quia tunc solummodo terminaret respectum materiæ unionis, sed taliter terminare respectum non est mutari, ergò forma informaret constitueretque compositum sine ulla mutatione: probatur mi. quia alioquin Verbum Divinum, quòd terminat unionem hypostaticam, mutaretur, quia illud terminat unionem subjectatam in natura humana, ergò sic terminare non est mutari; quòd si verò dicitur unio subjectari in forma, eadem redit difficultas: quia tunc componit aliquid totum absque sui mutatione.

Dices: Formam sufficienter mutari per hoc, quòd de novo accipiat esse, quale ante non habebat, quòd in Verbo Divino non contingit, quia licet illud terminet unionem tantum, non tamen de novo accipit esse. Sed Contra hinc sequeretur, quòd si Deus materiam quæ fuit sub speciebus Eucharisticis, reproduceret, quòd illa accidentia reunirentur materiæ, absque ulla mutatione, cum antea præexistissent, item quòd in resurrectione universalis, anima absque mutatione sui reuniretur corpori, quæ omnia nullius sunt momenti.

Probatur Conclusio tertio:

Quando materia & forma concurrunt ad constituendum aliquid compositum, tunc perficiuntur ambæ, sed nullam accipere possunt perfectionem, nisi aliquid ambæ acquirant conjunctæ, quòd non habebant separatæ, ergò aliquid acquirunt per quòd perficiuntur; subsumo: sed hoc aliud esse nequit quam unio in utroque subjectata, ergò tam bene forma, quam materia in constitutione totius acquirunt novam unionem: probatur subsumptum, quia talis perfectio non potest haberi ex sola terminatione, ergò: probatur ant. quia omnis perfectio fit ex aliqua additione, sed terminatio sola nulla est additio perfectionis, ergò: probatur mi. quia Verbum Divinum terminat unionem naturæ humanæ & tamen per eam non perficitur, item visio, intellectio, terminantur ad objectum, & tamen per talem terminationem objecta non perficiunt, ergò terminatio sola nullam addit perfectionem, & consequenter si partes perficiuntur per unionem, unio debet in ipsis subjectari, & non tantum terminari ad eas. Sed adducendo principalissimum argumentum contrariæ sententiæ in contra

Arguitur: Unio est essentialiter duo, rum vinculum & nexus, ergò ut materia & forma

forma dicantur unitæ sufficit unica unio, antepatet, quia nihil unit seipsum, ergo unio debet esse ad minus duorum: probatur consequentia: Quia si materia est conjuncta formæ, forma necessario debet esse conjuncta materiæ, ergo ut materia dicatur unita formæ, & forma materiæ, sufficit unica unio. Resp. 1. dist. consequens, ergo ut materia & forma dicantur unitæ, per modum subjecti, nego consequentiam. ita ut materia per modum subjecti, & forma per modum termini, vel e contra, nego consequentiam, unde quamvis unio una sufficiat, ut una pars uniat per modum subjecti, & altera per modum termini, quia tamen modus uniendo terminativè est valde extrinsecus, & cum non sit ratio, cur in uno potius sit per modum subjecti, seu subjectivè & in altera terminativè; ideo potius dicendum est, quod tam bene in materia, quam forma sit unio subjectivè, cum æquè bene una, & altera sit capax. Et per hoc Resp. 2. negando consequentiam cum consequentia probationis, quia ex hoc, quod unio sit inter aliqua duo, necessario non licet inferri, quod non debeat in composito substantiali admitti duplex unio, quemadmodum non potest esse similitudo nisi inter duo: per hoc tamen nemo dicit, quod una tantum sit similitudo inter duo alba, similiter non potest esse æqualitas nisi inter duo, & tamen omnes admittunt inter duo extrema duplicem æqualitatem, ergo à pari dicendum est de materia & forma, cum æquè sint capaces.

Instatur: Non potest concipi positâ unicâ unione in materia sola, quin forma intelligatur unita, ergo nulla est prorsus ratio multiplicandi unionem. R. concessio ante: negando consequentiam, ratio est, quia hoc non provenit ex ratione unionis præcisè, sed ex eo, quod istæ duæ uniones sint sibi correlativæ, quarum est ut ad se invicem mutuò referantur. Sed

Urgetur: Si Deus positâ unicâ unione inter materiam & formam suspenderet & impediret aliam, quod facere videtur omnino posse, cum sit extrinsecus adveniens: in tali casu compositum verè esset constitutum, & partes verè inter se unitæ, sed tunc esset tantum unio, ergo. R. Quod in tali casu (de quo valde dubito, imò quem simpliciter nego, quia positâ unâ relatione etiam extrinsecus adveniente, necessario ponitur sua correlatio, si talem habeat,) partes verè essent inter se unitæ: una tamen intrinsecè & altera extrinsecè seu terminativè. Sed

Arguitur 2. In Christo Domino natura humana verè & intrinsecè est unita Verbo Divino, sed in Christo unica tantum est unio, ergo etiam in omni alio composito unica sufficit: probatur mi. quia in Verbo Divino nulla recipi potest unio propter summam immutabilitatem, ergo est tantum in natura humana, quæ ad Verbum Divinum terminatur. Resp. negando consequentiam, quia

F. Amandi Hermann Physica.

à supernaturalibus ad naturalia nulla est consequentia, quemadmodum etiam nec à particulari ad universalia, Ratio disparitas est, tum quia Verbum Divinum est incapax novæ relationis, non sic materia & forma: tum quia Verbum Divinum, & natura humana ununtur, ut suppositum & natura, non verò ut materia & forma, adeoque quia suppositum se habet per modum termini in ipso, non debet subjectari unio.

Instatur: Non modò in supernaturalibus, sed etiam in naturalibus unum gluten unit duas tabulas, unus funis duo ligna, ergo etiam unica unio materiam & formam simul. R. negando consequentiam: Quia gluten & funis mediant inter partes unitas, ut quid absolute, quod non petit subjectari, sed tantum intercedere inter partes, nec exigit aliud correlativum; unio verò e contra sic exigit, adeoque non est paritas. Plura solent à nonnullis comportari argumenta, sed omnia per dicta solvi possunt.

QUÆSTIO III.

An unio partium sit de essentia totius?

Potissima controversia circa præsentem quætionem est cum Neotericis, Averfa, Amico, Ruvio, Hurtado, Arriaga, &c. qui omnes unanimè defendunt & propugnant, unionem essentialitèr includi in toto composito, Scotus tamen e contra 3. d. 2. q. 2. & alibi, & post eum Scotistæ asserunt, unionem quidem requiri ad constituendum totum compositum, non tamen tanquam partem, vel etiam essentialitèr, sed veluti conditionem necessariò & simpliciter requisitam, cum quibus resolutivè

DICO: Unio non includitur essentialitèr in composito, seu non est de essentia totius. Ita, præter Doctorem & suos D. Thomas 4. d. 44. q. 1. a. 1. &

Probatur primò: Nulla relatio quascunque illa sit, sive transcendentalis, sive prædicamentalis, includitur essentialitèr in aliquo absoluto, sed unio est relatio, ut dictum est supra, ergo non includitur essentialitèr in toto: probatur ma. quia si aliqua relatio includeretur essentialitèr in aliquo absoluto, illud esset ad se, & non esset, esset, quia est quid absolutum, non esset verò, quia essentialitèr includeret rationem, ergo.

Dices: Eo modo dici potest, nec materiam nec formam esse de essentia compositi, quia ipsæ æquè includunt relationem ad minus transcendentalem, ergo vel dicendum, unionem etiam tanquam relationem posse includi in toto composito, vel quod nec materia nec forma sic includantur. Sed R. negando ant. quia licet materia & forma includant relationes transcendentales, ipsæ tamen non sunt relationes, quemadmodum est unio; Deinde materia & forma illas relationes includunt in secundo dicendi modo, non verò in primo; in

D d d

hoc

hoc enim sunt simpliciter absolutæ, unio vero secundum se totam nihil aliud importat quam relationem, cum sit in recto talis.

XII. Probatur Conclusio secundò:

Secundum Aristotelem & communiter receptam doctrinam, Principia rerum naturalium in facto esse non sunt nisi duo, sed si unio includeretur essentialiter in toto, tunc essent tria, ergo unio non includitur essentialiter: probatur mi. quia illud est verè principium in facto esse ex quo fit & subsistit compositum, sed ex unione fit compositum, ergo esset verè principium, & consequenter essent tria. Confirmatur, quia etiam si includeretur tantum veluti pars integralis, esset adhuc pars essentialis: quia omnis pars integralis est aliquid partis essentialis, quia digitus, verbi gratia, licet sit tantum pars integralis, est tamen aliquid partis essentialis, scilicet corporis.

XIII. Dices: Unionem quidem concurrere essentialiter ad constituendum totum compositum, non ut quod, sed ut quo, & consequenter non habet rationem principii novi, quod debet concurrere ut quod, non verò ut quo. Sed Contra, quia vel intelligunt Adversarii per partem essentialem ut quo tanquam necessariam connexionem, & conditionem simpliciter requisitam, vel non? si non, sed aliquid distinctum stat argumentum; si primum, ergo conveniunt nobiscum: nam etiam Scotista licet dicant unionem esse extra essentialiam compositi, adhuc tamen eam requirunt veluti conditionem necessariam.

Probatur Conclusio tertio:

Tum quia si fieret aliquid compositum absque unione, illud esset ejusdem rationis cum illo, quod fieret cum unione, ergo unio non est pars essentialis; probatur ant. quia si fieret domus absque cemento, ex puris & sectis lapidibus, esset ejusdem rationis, quia haberet omnes planè effectus quos haberet, si fieret cum cemento, ergo compositum ex unione, & sine unione sunt ejusdem rationis, & consequenter unio non ingreditur essentialiter compositum: tum quia omne compositum debet variari ex his quæ essentialiter illud ingrediuntur, sed compositum non variatur ex unione, ergo non ingreditur essentialiter: patet ma. probatur mi. quia secundum aliquos unio est quid absolutum, secundum alios aliquid substantiale, alios accidentale, & secundum plures quid respectivum, sed licet varietur toties unio apud ipsos, idem tamen semper est compositum, verbi gratia, idem lignum, idem lapis, idem homo, ergo unio non ingreditur essentialiter, alioquin deberet compositum variari secundum variationem quæ essentialiter ingrediuntur.


XIV. Dices: Unionem non constitui in allegatis simul sumptis, vel successivè & indifferenter, ab omnibus, sed unum aliquid, quod semper est ejusdem rationis, si tamen unio esset diversæ rationis, esset quoque compositum di-

versum, ut patet de composito per se, & composito per accidens, quod non variatur penes partes, sed tantum penes uniones: nam si anima uniat ad corpus, fit totum per se, si tantum localiter fiat præsens, est totum per accidens, ergo totum compositum omnino variatur ex variatione unionis. R. 1. Compositum per se, & compositum per accidens, non distinguuntur per unionem, sed per tertiam entitatem, quæ non resultat in toto per accidens. R. 2. totum compositum per se, & per accidens, distinguuntur per unionem reduplicativè transeat, specificativè nego, quia in entitate non distinguuntur. Sed

Arguitur Incontra directè: Non potest compositum concipi sine unione, magis quam album sine albedine, aut animatum sine anima, ergo si albedo est de essentia albi, & anima animata, ita etiam unio erit de essentia compositi. R. 1. Quod si argumentum valeret, probaret etiam, quod unio sit pars compositi, quemadmodum anima est pars animati, quod si esset pars, esset etiam principium, & sic darentur tria principia in facto esse. R. 2. negando consequentiam: Quia etiam non potest intelligi relatio sine extremis, & tamen extrema non sunt de essentia relationis, & sic de pluribus aliis relativis & connotativis, quod autem compositum nequeat concipi sine unione, hoc inde provenit, quia unio est conditio necessaria requisita, non verò quod essentialiter compositum ingrediatur, quemadmodum ignis non potest intelligi comburere sine applicatione, & tamen applicatio non ingreditur essentialiter combustionem.

Instatur: Illud essentialiter ingreditur,

quod est de essentia, sed unio est de essentia compositi, ergo essentialiter ingreditur, probatur mi. unio est compositio, sed compositio est de essentia compositi, ergo etiam unio est de essentia: probatur ma. quia unitum & compositum sunt formaliter idem, ergo etiam unio & compositio R. negando mi. cujus probationis ma. dist. Unio est compositio activa transeat, passiva nego ma. & dist. etiam mi. compositio est de essentia compositi formaliter sumpti, in quantum videlicet subjacet denominationi relativæ, concedo mi. quia sic etiam relatio de essentia relativi formaliter sumpti, paternitas, verbi gratia, Patris relativè sumpti. Compositio est de essentia compositi materialiter sumpti, nego min. quia sic Paternitas non est de essentia Patris, ut est hic Petrus vel Paulus: ad probationem majoris R. negando eam, nam unitum & compositum, non sunt formaliter idem propriè loquendo, quia materia & forma denominantur unita, & tamen non possunt dici compositæ, sed componentes, unitum ergo est illud, quod copulatur & adnectitur alteri, compositum verò non adnectitur alteri, adeoque dici nequit unitum, & sic nego quoque ultimam consequentiam.



DISPUTATIO VI. DE TOTO, Seu, COMPOSITO.

Omnia, quae hactenus dixi, ordinata fuerunt ad constituendum, & intelligendum totum compositum, quod ex principis rerum naturalium fit, ideoque non abs re erit, illud magis particulariter, & secundum praesam rationem totius examinare. Sit igitur

QUAESTIO I.

An totum compositum substantiale distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

I. II. III.

Celeberrima haec quaestio Authorem habuit subtilem, cujus dicta aliqui impugnare conantur & explodere, solum, quia ejus sunt, non quia impugnatione digna sunt, invidia ad id stimulante; alii e contra affectibus nimium indulgentes, ita ejus dicta quaecunque reperta, & magis obvia tuerunt & propugnant, tanquam de mente ejus, ut eam assequi conentur & demonstrent, quid potius voluerit, quam quid revera docuerit, prout hac in controversia contingit: nam unanimiter quodammodo omnes Scotistae cum nonnullis Thomistis putant, Scotum voluisse docere, quod totum distinguatur realiter à suis partibus, simul sumptis & unitis, cum tamen absolute problematicus fuerit in hac materia. Unde etiam in utramque disputabo, ultimo tamen communi subscribendo, quare pro nunc

Dico I. Totum compositum substantiale distinguatur realiter à singulis suis partibus. Haec est communis etiam inter Scotistas, &

Probatur: Quia illa distinguuntur realiter, quae à se invicem separari possunt, ita ut unum existeri valeat, non existente altero, sed singulae partes possunt separari à toto & existeri, non existente toto: ergo singulae partes distinguuntur à toto; patet ma. probatur minor, quia manet & existit materia, non existente forma, aut composito: ut patet in homine, cujus manent partes, absque eo, quod maneat totum. Confirmatur, tum quia compositum plus includit, quam unam partem singulam, nam totum praeter materiam includit etiam formam, & praeter formam includit etiam materiam: tum, quia nihil potest esse majus seipso, sed totum debet esse majus quamlibet sua parte, ergo totum non sunt partes singulae & consequenter realiter distinguuntur.

Dico 2. Totum compositum substantiale distinguatur realiter etiam ab omnibus, secundum se specificative consideratis, non vero ut sunt unita. Haec etiam est communis: Et

Probatur primo: Quia totum, etiam ut unitum, specificative dicit aliquid, quod non dicunt omnes partes, ergo totum specificative consideratum distinguatur à suis partibus. *F. Amandi Hermann Physica.*

tibus. Probatur aut, quia dicit unionem, adeoque dicit aliquid, quod non dicunt partes.

Probatur secundo: Quia toti composito, specificative considerato, competunt operationes, quae non competunt singulis partibus, neque ambabus non conjunctis, sed illa, quibus competunt distinctae operationes, debent etiam in se esse distincta, ergo: probatur ma. Quia homini competit ridere, flere &c. quod non competit nec animae soli, nec corpori soli, ergo totum distinguatur à suis partibus omnibus.

Dico 3. Potest ex mente Scoti sustineri, & etiam alias probabiliter defendi, quod totum compositum substantiale non distinguatur a partibus suis simul sumptis, & unitis realiter; sed totum nihil aliud est, quam ipse partes unitae. Haec est D. Thomae l. p. q. 11. a. 2. & alibi, Thomistarum Nom. & Neut. contra Scotistas plurimos.

IV. Prima pars problematica, asserens non distingu.

Probatur prima pars: nam I.

Physicorum q. 9. n. 3. & 4. ait Scotus: *Nunc ponitur ista Conclusio, Totum est suae partes, ita quod omnes partes simul sumptae sint ipsum totum.* Item 8. Meta. Physices q. 4. ad objectionem respondens dicit: *Quando ergo arguitur, in composito est aliud praeter ipsa, si intelligatur aliquid, id est aliqui respectus, &c. non potest negari consequentia, nec consequens est inconveniens; si autem intelligatur aliquid, id est aliqua essentia absoluta, vel in composito ut pars essentialis ejus, neurrum sequeretur, ubi expresse in composito nihil aliud admittit praeter partes, nisi aliquem respectum, id est unionem, & negat ibi esse aliquid absolutum.* Et ita Scotum sensisse, defendunt solemnissimi Scotistae, ut Aretinus Cavellus, licet hic antecederet sit problematicus, Alphonsus, Brislenus, Meurisse, Baro &c.

IV.

Probatur Conclusio secundò,

Authoritate Sanctorum Patrum: D. Aug. 3. Trinit. cap. 4. ubi ait: *Homo nihil aliud est, quam anima & corpus.* D. Bernardi sermone 81. ubi haec habet: *Neg. enim unum simplex est quaeq; harum (supple substantiarum, de quibus ibi facit mentionem) sed ex pluribus constans, & propterea non redigitur in nihilum, sed dissiluit in partes, sed si compositam aliquam substantiam absolutam includeret, praeter materiam, formam & unionem, substantia quaelibet in corruptione redigeretur in nihilum, quia in morte cujuslibet viventis desinit, & destruitur totum illud compositum secundum se, ergo compositum, cum secundum D. Bernardum non redigitur in nihilum.*



hilum, sed dissiliat tantum in suas partes, nihil aliud includit, præter partes unitas. Confirmatur ex D. Dionysio cap. 4. de Cœlesti Hierarchia, ubi ait: *Mortem in nobis nihil aliud esse, quam unitorum separationem, & non substantiæ consumptionem*, sed si compositum includeret aliquid absolutum præter partes, in morte illud totum consumeretur, & non tantummodo partes separarentur. Adde Boëthium, qui 3. Trinit. dicit: *Totum omne esse partes suas conjunctas*. Confirmatur secundo: Ex D. Damasceni vulgato & communiter recepto: *Verbum Divinum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit*, sed si in homine daretur aliqua tertia entitas à partibus simul sumptis & unitis, distincta, Verbum Divinum, quod semel assumpsit, dimisisset, ergò non datur: probatur mi quia in triduo mortis Christi non fuit illa tertia entitas, ergò dimisit illam, quam tamen suppono, quòd semel assumpsit; alioquin esset in natura humana aliquid, quòd non fuisset assumptum, nec consequenter curatum, ut dicunt Theologi communiter. Nec dicere valet, Axioma illud commune intelligendum esse de partibus principalibus, anima scilicet & corpore, quòd ex iis nulla fuerit unquam dimissa: Quia si nulla pars debuit unquam dimitti à Verbo, ergò nequè totum, & quamvis verum sit, quòd humanitas fuerit dimissa, hoc tamen salvatur per dimissionem solius unionis, non per dimissionem alicujus totius absoluti: nam partes absolutas, ut animam & corpus, nunquam dimisit, ergò potius dicendum, quòd compositum nihil absolutum superadditum sit partibus simul sumptis & unitis.

V. Probatur Conclusio tertio:

Authoritate Aristotelis. 4. Physicorum cap. 4. t. 23. ubi ait: *Non enim à partibus diversum est totum*. Habet & alibi his similia ut 2. An. t. 7. & t. 10. sed quoad 2. p.

VI. Probatur Conclusio: Rationibus

duabus ex Doctore subtili desumptis. 1. Physicorum suprâ. Si totum distingueretur à suis partibus simul sumptis & unitis, sequeretur, quòd si ab aliquo toto ponderante unam tantummodo libram, pondus unius libræ auferatur, quòd tamen adhuc tantum ponderaret, quantum antè, sed hoc est ridiculum dicere, ergò: probatur sequela ma. quia si illud totum deponderat unam libram, ergò quælibet pars ponderabat dimidiam libram, si ergò totum illud dividatur, tunc corrumpitur, secundum Adversarios, & tamen illæ medietates tantum ponderant quantum prius, ergò sequeretur, quòd si à toto ponderante unam libram auferatur pondus unius libræ, per ablationem totius, quòd tantum adhuc ponderabit, quantum antè; quòd autem hoc falsum sit, & non modò ridiculum, hinc patet, quia alioquin contra hypothefin ponderasset antecedenter duas liberas.

Secundo sequeretur, quòd per solam divisionem aliqua substantia corrumpetur, sed hoc est falsum, quia tunc, si divideretur una portio materiæ primæ, corrumpetur materia prima: sed hoc est falsum, ergò: pro-

batur sequela, quia per solam divisionem corrumpitur illud totum distinctum à suis partibus, sed illud totum est substantia, ergò: probatur etiam minor, quòd scilicet hoc sit falsum: quia materia de se terminativè est incorruptibilis, quemadmodum etiam est ingenerabilis. Hæc ex Doctore non quidem præcisè in terminis. Sed

Probatur tertio: Illa tota entitas realitèr distincta à suis partibus simul sumptis & unitis, quatenus realitèr distincta, deberet esse vel simplex, vel composita, sed neutrum dici potest, ergò nulla datur; probatur mi, quia non potest dici simplex; quia hæc quaerimus, an compositum distinguatur à suis partibus, si ergò est compositum, sequitur jam, quòd non possit esse simplex; nec potest esse etiam compositum, quia omne compositum debet esse constitutum ex partibus intrinsecè componentibus: sed hæc entitas non potest esse composita ex talibus partibus, quia ab eis est realitèr distincta, si autem dicatur, quòd sit constitutum ex aliis partibus, quæ per partes Physicas causatæ sunt, tunc arguo sic: Illæ partes iterum veram habent causalitatem actûs & potentiæ, tam bene sicut primæ, ergò si primæ causarunt tertiam entitatem, etiam eam causabunt secundæ, quæ similiter erit composita ex partibus: & sic iterum aliam entitatem causare poterunt usquè in infinitum, ad quòd cavendum consultus dicitur, totum illud non esse distinctum à partibus simul sumptis & unitis. Si verò dicatur, quòd sit constitutum ex primis partibus, sequitur, quòd partes sint de essentia ejus, nihil autem essentialè distinguitur ab eo, cujus est essentia, nec valet recurrere ad essentialia Physica & Metaphysica: nam sic ut ea, quæ sunt de essentia Metaphysica alicujus, non distinguuntur ab eo, cujus sunt de essentia Physica, alicujus, non debent ab eo distingui cujus sunt de essentia.

Probatur quarto: Omne absolutum prius alio, & ab eo realitèr distincto, potest esse sine posteriori aliquo absoluto, sed partes simul sumptæ & unitæ, sunt quid absolutum, ergò possunt esse sine toto: ma. est doctrina Scotti quodl. 3. & 2. d. 1. q. 4. minor est etiam certa, sequitur, consequentiam esse optimam; cum tamen nec Divinitus totum separari possit à partibus simul sumptis & unitis, aut partes simul sumptæ & unitæ sine toto.

Dices: Relationes etiam non possunt esse sine subiecto & suis relativis, & adhuc tamen realitèr distinguuntur, ergò licet partes illæ, & totum non sint separabiles, non sequitur adhuc, quòd minùs realitèr distinguantur. Sed Contrâ, licet relationes non possint esse sine extremis, possunt tamen esse sine relationibus extrema, totum autem nequit esse sine partibus, nec etiam partes simul sumptæ & unitæ queunt esse sine toto, & per hoc solvitur etiam alia responsio, quòd sit propter essentialè dependentiam: nam licet totum dependeat à partibus, non tamen dependent partes à toto.

Instabis : Hanc dependentiam esse particularem, scilicet causantis & causati actualiter, adeoq; nec partes possunt esse sine toto, nec totum sine partibus unitis: Sed Contrà, Astra veros & plurimos effectus producant in sublimitatibus, sed astra sunt separata, & loco distinctissima à suis effectibus; ergò, licet materia & forma, ut unitæ, causent totum, adhuc poterunt separari.

Urgebis : Materiam & formam esse causas intrinsecas, non verò extrinsecas, adeoq; licet causæ extrinsecæ possint separari loco ab effectibus, non possunt tamen intrinsecæ. Verùm in Contrà: Quamvis verum sit in re materiam & formam esse causas intrinsecas, attamen hoc non potest esse verum in sententia distinguendum totum à partibus, quia illæ non sunt causæ intrinsecæ, quæ causant aliquid à se realiter distinctum, sed partes unitæ, secundum ipsos, causant aliquid realiter distinctum ab ipsis; ergò non possunt dici causæ intrinsecæ, cum ideo dicantur tales, quia sunt aliquid totum compositi, hic autem nihil essent, quia quæ realiter distinguuntur, unum non potest esse aliquid alterius, ma. autem probatur, quia ideo causa efficiens dicitur extrinsecæ, quia causat aliquid esse realiter distinctum, sed materia & forma, ut unitæ etiam, causant aliquid realiter distinctum; ergò sunt causæ extrinsecæ, quod nequaquam dici potest. Sed

Probatur Conclusio quintò : Sequeretur, quòd definitio Physica non exprimeret essentiam ejus, cuius esset definitio, verbi gratià, hæc definitio hominis: *Homo est aliquid constans ex corpore & anima rationali unitis*, sed hoc est inconvenientissimum; quandoquidem data definitio, secundum Physicalia, sit optima, ergò: probatur sequela: quia definitio Physica est illa, quæ traditur per partes Physicas, sed partes Physicæ non ingrediuntur essentiam rei, & totius compositi definiti, verbi gratià, corpus & anima, non ingrediuntur essentiam hominis, qui est aliqua tertia entitas realiter distincta à corpore & anima.

Probatur sextò : Omne compositum & totum, quòd defacto datur, debet esse creatum vel productum actione generativâ, sed tertia illa entitas non est aliquid productum creatione, nec etiam actione generativâ; ergò nihil est, ma. patet: quia si non acciperet ab alio esse, & tamen esset, existeret à se, & sic esset Deus; probatur mi. non crearetur, quia secundum Adversarios produceretur à materia & forma unitis, quæ creare non possunt, cum hoc sit attributum soli Deo conveniens: nec etiam produceretur, quia omnis actio generativa debet fieri dependentè à subiecto, ex quo educitur forma, sed hic nullum esset tale subiectum, nec forma: cum totum non sit forma; ergò nec posset produci actione generativâ.

Probatur septimò : Si totum distingueretur à suis partibus simul sumptis & unitis, verbi gratià, homo à corpore & anima, sequeretur, quòd in homine deberet admitti duplex intellectus, & duplex voluntas, atq; duplex rationalitas: sed hoc est inconvenientissimum, &

omniò arduum ac difficile, ergò: probatur sequela, quia illud compositum homo, prout dicitur tertiam entitatem est rationalis, intellectivus & volitivus, sed non est rationalis & intellectivus, per intellectum & rationalitatem animæ; ergò per aliam: & consequenter est in homine duplex rationalitas, & duplex intellectus & voluntas: probatur etiam minor principalis primò, quia hinc sequeretur, Deum esse injustum Judicem, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: probatur sequela: Ille est injustus Judex, qui innocentem punit, & reum dimittit, sed hoc faceret Deus, ergò: probatur mi. Quia si Titius toto tempore vitæ pessimè viveret, & in omne scelus rueret, ita ut ultimo instanti, de mortalibus doleret. venialium planè oblitus, sequeretur, quòd Titius absq; ulla satisfactione de reatu mortalium, & absq; ulla pœna de venialibus vitam consequeretur æternam, dummodò anima in purgatorio fuisset sufficientè, sed hoc est reum dimittere, & Innocentem condemnare; ergò DEUS esset injustus Judex. Probatur, quia Titius separatione factâ partium amplius non est, usq; dum iterum in ultimo Judicio resurrectio fiet, ergò Titius consequeretur vitam æternam absq; eo, quòd doleret & satisfaceret: probatur etiam mi. quia anima non peccavit, sed peccavit tantum Titius, ergò: probatur ant. Nemo peccat per voluntatem, aut rationalitatem à se realiter distinctam, sed per suam identificatam sibi, sed voluntas & rationalitas animæ est realiter distincta à voluntate & rationalitate Titii; ergò anima non peccavit, sed tantum Titius, & consequenter, si Deus pœnis purgatorii animam ejus puniret, & ipsum non, nec ejus rationalitatem & voluntatem, sequeretur, quòd innocentem condemnaret, & reum dimitteret. Nec dicere valet, omnia peccata attribui animæ, quia est causa principalis constituens totum, quia si constituit & componit totum est aliquid totius, sicut est aliquid corporis caput, quia cum aliis membris componit; deinde, ex hoc, quòd anima sit pars principalis causans totum, non poterit dici, quòd ipsi deberent adscribi omnia peccata, omnesq; actiones, tum, quia alioquin cogentur Scotistæ concedere, quòd actiones & motus fiant à generante, tum, quia nullus parens, licet verè causet filium, dicitur peccare peccante filio, ex eo, quòd sit causa ejus, alioquin necesse esset, Deum facere peccatorem, qui est causa immediata & primaria omnium hominum.

Probatur minor principalis argumenti secundò : Quia sequeretur, quòd intellectus, & voluntas hominis sit corruptibilis, sed hoc dici nequit, ergò; Probatur minor, quia intellectus hominis, ut distinctus ab intellectu animæ, vel est materialis, vel spiritualis, si materialis, certum est, quòd quicquid est materiale, sit corruptibile: cum materia sit principium corruptionis, ut patet de cælis, qui vel ideo corruptibiles dicuntur, quia materiâ constant, si verò est spiritualis, etiam corrumpitur, quando corrumpitur totum, desinente etenim subiecto, passiones quoq; desinere necesse est: sed hoc est inconvenientissimū, quia nullum spirituale potest connaturalitèr corrumpi, sed intellectus esset spiritualis; ergò non posset cor-

rumpi; probatur ma. quia nullum ens spirituale habet contrarium, sed nihil corrumpitur, nisi per suum contrarium, ergo.

Probatur minor eadem tertio: Quia nullum agens creatum potest defacto producere aliquid spirituale, sed intellectus hominis, etiam ut distincti à partibus simul sumptis, est spiritualis, quia intellectivus supra se reflexivus spiritualium perceptivus, &c. ergo non potest aliquid creatum producere ipsum. Probatur ma. quia Angeli nec possunt id facere, & omnia spiritualia fiunt independentè à subiecto, nullum autem agens creatum potest operari independentè à subiecto, deinde si intellectus hominis produceretur ab aliqua causa, illa deberet esse anima: sed hæc nequit intellectum producere, ergo: probatur mi. Intellectus hominis est perfectior, quàm sit pars; ergo intellectus totius perfectior est; quàm intellectus partis, sed nullum imperfectius potest producere aliquid perfectius. Verùm contra

XIII.
Opponitur &
solvitur
Arist.

Opponitur: Autoritas Aristotelis pluribus in locis & imprimis 2. Anima cap. 2. dicitur substantiam in materiam, formam & compositum, tanquam substantias distinctas, unde 6. Met. t. 60. declarat se inquit; compositum non esse elementa, ex quibus componitur, quod exemplificat in syllaba Ba, quæ non est b & a, sed aliquid diversum, & unum nempe ba. Item 5. Metaph. dicit, quod bis tria non sint sex, nec sex bis tria, sed sex sunt semel sex; ergo ex mente Aristotelis totum compositum distinguitur à suis partibus simul sumptis & unitis. Ad has Autoritates variè responderetur; Attamen facile mihi videtur responderi posse ad omnes, Aristotelem videlicet aliud non velle, quàm quod totum distinguitur ab omnibus partibus seorsim & singillatim acceptis. quod si verò quis velit, eum docere, totum esse aliud ab omnibus partibus simul sumptis, tunc etiam possum permittere, quia nondum est contra conclusionem, quia aliud est, quòd sit quid distinctum ab omnibus partibus, aliud quòd sit quid distinctum ab omnibus etiam, ut unitis reduplicativè. Verùm tamen adhuc particularitèr respondeo ad singulas, & primam dico, quòd Aristoteles dividat substantiam in materiam & formam, ac compositum in se præcisè considerata esse distincta, non verò ut unita: quod patet ex exemplo, quod affert, certum enim est, quòd syllaba Ba, non sit aliud, quàm b & a conjunctim, quàmvis aliquid diversum sit à b & a divisim, & secundum se consideratis, imò potest dici, quòd syllaba Ba non sit a & b inverlo modo sumpto. Ad alteram auctoritatem dico, quòd omninò benè & conformitèr doceat ad priora, sex non esse bis tria, quia cum antè dixerit, numerum per quamcunq; additionem variari specie, benè nunc dicit, bis tria non esse sex, quia sicut ex nullis duabus speciebus potest fieri una aliqua, ita nec ex duobus numeris aliquis unus, sed quilibet ex unitatibus non divisim, sed collectivè & unitè sumptis, sic sex non est bis tria, sed semel sex compositum ex sex unitatibus, &

non ex duobus numeris ternariis. Verùm tamen ex ratione in contrà

Arguitur primò: Omnis effectus realitèr distinguitur à sua causa, & econtrà omnis causa à suo effectù, sed materia & forma sunt causa totius, & totum est effectus, seu causatum; ergo materia & forma realitèr distinguuntur à toto: probatur ma. ex definitione causæ communiter receptæ, & infra ponenda, quæ est, quòd si principium positive influens est in aliud &c. ergo. Sed 9. dist. ma. Omnis effectus realitèr distinguitur à sua causa & econtrà, causà ab effectù extrinsecà, concedo ma. intrinsecà, nego ma. & dist. similiter min. nego consequentiam. Quia ex modo causandi causarum intrinsecarum provenit, ut remaneant in effectù, quem componunt & causant, ad definitionem autem causæ in communi dico, benè quadrare etiam omnibus causis singillatim sumptis, non tamen collectivè sumptis: & sic verum est, quòd materia distinguitur à toto, quòd forma distinguitur &c. nego tamen, quòd materia, forma, & unio distinguuntur à composito, quia sunt ipsum compositum.

Instatur: Eadem est ratio de causis intrinsecis, ac est de extrinsecis; ergo si extrinsecæ distinguuntur ab effectibus suis, etiam intrinsecæ distinguuntur, 9. negando ant. quia intrinsecæ ideo dicuntur tales, quia sunt aliquid ejus, cujus sunt causæ, si autem non ingrederentur essentialitèr illud, non essent aliquid ejus, nec consequenter intrinsecæ, ut patet ex dictis supra: quia hæc difficultas ipsos Adversarios premit, nam si putant totum distingui à suis partibus ex eo, quòd causæ distinguuntur ab effectibus, jam debent concedere, quòd materia & formæ sint causæ extrinsecæ, quia sic distinguuntur; Sed alia viâ

Instatur secundò contra solutionem, ad definitionem causæ datam, materia & forma causant totum ut unitæ; ergo sunt causa totius collectivè sumptæ: sed subsumo, materia, forma, & unio collectivè sumptæ causant totum; ergo totum est aliquid distinctum à suis causis, materia scilicet & forma, sed 9. dist. ant. materia & forma causant totum, ut unitæ, ambas collectivè sumendo, nego ant. quia sic nihil aliud sunt, quàm ipsum totum compositum, materia & forma ut unitæ, distributivè sumendo eas, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; materia & forma unitæ simul & collectivè sumptæ, non causant totum compositum, sed sunt totum compositum, sed distributivè sumptæ, non tamen quomodo cunq; sed quatenus est unita alteri, materia videlicet, in quantum est informata, & forma in quantum est unita.

Urgetur: Materia & forma, ut unitæ, non sunt causa totius, nisi collectivè sumptæ; ergo materia & forma, ut unitæ non causant distributivè sumptæ, & consequenter, quod per ipsas causatur, non est collectio materiae, formæ & unionis, sed aliquid realitèr ab ipsis distinctum, seu aliqua tertia entitas: probatur ant. quia totum debet causari per suam causam totalem, sed materia & forma unitæ sunt causa

totalis compositi; ergò materia & forma collectivè sumptæ, debent causare totum. R. negando ant. ad probationis majorem dico, illam male supponere, unde nego mi. ratio est: quia nulla causa intrinseca est totalis: eo ipso enim, quo intrinseca est, partialis esse debet, quia intrinseca causa causat componendo, nullum autem totale potest componere, quia componere significat compartem concurrentem, quod autem totale est, nullam talem partem concurrentem habet.

Replicatur: Qualis est effectus, talis debet esse causa, sed compositum est aliquid totum adequatum; ergò etiam debet habere causam totalem & adequatam; sed R. negando ma. quæ multipliciter impugari potest: nam frequenter effectus est accidens, causa substantia, frequenter causa est perfectior, quam sit effectus, ut patet in omnibus causis æquivocis, quarè dico, quòd licet totum sit aliquid adequatum, nihilominus non habet causam adequatam & totam, sed plures inadæquatas: quia sicuti compositum non importat unum adequatum componens, sed plura partialia componentia, ita etiam non dicit, nisi plures partiales causas. Verùtamen

Redarguitur: Ex pluribus causis partialibus fit una totalis, sed secundum dicta, sunt plures partiales causæ; ergò constituent unam totalem. R. dist. ma. ex pluribus causis partialibus extrinsecis fit una totalis, concedo ma. ex pluribus intrinsecis, nego ma. & concessã mi. simul nego consequentiam, disparitas est, quia intrinsece tantum causant per communicationem suarum entitatum, quas communicant effectui formaliter, per conjunctionem unius ad alteram mediante unione, ex qua communicatione non fit una causa totalis, cum non sit respectu tertii, sed respectu sui invicem; in causis autem extrinsecis duæ concurrunt ad communicandam entitatem alicui tertio ab ipsis distincto, adeoq; concurrere possunt duæ partiales ad constituendam unam totalem. Sed

Reinstatur: Causæ intrinsece partiales ununtur in ratione causarum; ergò constituent aliquam totalem. R. dist. ant. Ununtur in ratione causarum, ut constituent aliquam totalem, nego ant. ununtur, ut qualibet simul cum alia, mediante suâ causalitate, constituent in actu secundo per unionem aliquid totum, concedo ant. & nego consequentiam. Et hæc argumentorum solutio bona est: si quis tamen difficultatem timeret, facilius respondere poterit ad Ursionem superiorem dicendo, quòd materia & forma sint causæ totales, non verò causa totalis, nam tam bene materia & forma, quam efficiens sunt causæ totales primò diversæ, & in diverso genere, unde quemadmodum nemo dicit, formalem & efficientem esse duas causas partiales, ita etiam dici poterit, formalem & materialem non constituere unam adequatam, sed esse ipsas adequatas in diverso genere. Et hæc est etiam principalissima difficultas contra sententiam nostram, secunda huic similis, ex qua

Arguitur secundò: Totum compositum est terminus generationis substantia-

lis, sed terminus generationis substantialis distinguitur realiter ab eo, quod non est terminus generationis substantialis; ergò etiam totum compositum distinguitur ab eo, quod non est terminus generationis, subsumo, sed materia & forma non sunt terminus generationis substantialis; ergò totum compositum distinguitur realiter à materia & forma: patet subsumptum in homine, ubi corpus primò est, & anima creatur, deinde si materia & forma prius existerent tempore, antequàm unirentur possent causare novam generationem, & in tali nec materia, nec forma produceretur; ergò aliquid realiter distinctum, nempe compositum, R. concedendo totum, usq; ad subsumptum, quod distinguo: sed materia & forma non sunt terminus generationis, in quantum considerantur separata, concedo ant. in quantum sunt conjuncta, nego ant. & consequentiam.

Instatur: Illæ partes unitæ vel addunt aliquid ad partes, præter unionem vel non? si addunt aliquid; ergò terminus generationis non erit sola materia & forma unita, si nihil addit; ergò non erit ibi aliqua generatio substantialis, quia per ipsam non producitur aliqua substantia. R. negando ant. quia partes non addunt propriè aliquid, sed faciunt aliquid totum, scilicet compositum in esse totius, cum antecedentè non essent sub tali esse compositionis & totius, sed sub ratione separationis; quarè terminus generationis est totum unitum, ut quod, ut quo, vel forma cum unione, vel sola unio, nec per hoc statim inferre licet, generationem non futuram substantialem, si sola tantum produceretur unio: nam Christus Dominus vera est substantia, sed per actionem productivam non fuit producta, nec Deus, nec natura humana; ergò ex eo, quòd in tali casu non produceretur sola unio, adhuc posset vocari substantialis, ex eo, quòd unio illa verè uniret duas substantias inadæquatas ad faciendum totum adequatum, patet mi. quia beata Virgo concurrat ad naturam humanam tantum, non verò ad unionem ex natura humana & Divino verbo.

Urgetur: Omnis terminus generationis substantialis debet esse quid unum, sed materia & forma unitæ non sunt quid unum; ergò non possunt esse terminus generationis, etiam ut unitæ: probatur ma. tum quia qualibet entitas de novo producta debet habere suam unitatem consequentem; tum, quia omne compositum debet esse subiectum propriarum passionum & actionum, sed materia & forma non possunt esse subiectum passionum & actionum, ergò: probatur mi. quia alioquin passio & actio subiectarentur in diversis subiectis, quæ omnia sunt inconvenientia: adeoq; non admittenda. Sed R. dist. ma. Terminus generationis debet esse aliquid unum simplex, nego ma. aliquid unum compositum, signantè loquendo de termino, ut quod, nego ma. similiter distinguo mi. materia & forma non sunt aliquid unum, unitate simplici, concedo: unitate composita, nego mi. & consequentiam, quarè ad probationem primam dico, quòd totum illud productum suam habeat unitatem consequentem, scilicet adequatam ex duabus partibus,

libus, & inadæquatis per unionem resultantem, ad secundam verò dico, quòd quemadmodum homo constat corpore & animà, ita passio ejus constat partim ex animæ virtute, partim ex organo corporis. Itaq; risibilitas, verbi gratia, aut potentia visiva non est aliquid simplex, sed est organum cum vitali virtute, quàmvis anima semper sit ista virtus quo, qualis non esse posset, si compositum esset distinctum ab anima & corpore. Sed

XVII.

Licet hæc omnia benè dicta sint & fufius, quàm existimaveram, ad alteram problematis partem jam moveo manum, supra quam plurimæ fundantur difficultates aliæ, & in Schola Scoti ordinariæ sententiæ, ideoq; non est abjicienda, sed tantò fortius simul amplectenda, quantò magis ad mentem Scoti consequenter est loquendum, satis sit scire, quid in contrà dici possit, ego ulterius

XVIII.

Totum distinguitur à suis partibus.

DICO 4. *totum compositum distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis.* Hæc pars problematis, & Conclusio est communior in Schola Scoti, & Probari potest omnibus argumentis contra superiorem adhibitis. Attamen adhuc probatur etiam autoritate D. Bernardi, qui Serm. 30. in Cantica, expressè videtur distinguere totum à suis partibus, nam sic ait: *Quàm multii saluti propriæ modicam vilissimamq; pecuniam præulerunt? Paulus nec animam. Non (inquit) facio eam præiosorem, quàm me. Ergò differentiam facis inter te, & animam tuam. Prudenter quidem tu tibi pluris es, quàm quidvis tuum.* Ubi expressè asserit inter Paulum (qui utiq; ex corpore & anima constat) & animam differentiam esse, & ne putes eum explicari debere in sensu primæ & secundæ conclusionis, iterum notanter subdit, *Pluris esse ipsum, quàm quidvis suum*, si autem corpus & anima Pauli considerentur singulæ, aut etiam utræque, sed non unitæ, non possent dici suum esse; ergò ex mente D. Bernardi habetur, totum distingui (& quod plus est, differentiam esse;) à suis partibus, etiam simul sumptis & unitis. Omitto citare Doctorem subtilem, quia hic apud alios obvius est.

Probo Conclusionem secundò ex rationibus, breviter vulgari, optimo tamen argumento: Omnis causa verè realitèr, & Physicè causans, debet producere effectum à se realitèr distinctum, sed materia & forma verè & realitèr causant; ergò effectum à se realitèr distinctum, sed hic effectus alius esse nequit, quàm totum compositum, ergò: patet major de causa efficiente, finali, &c. atqui eadem est ratio de materiali & formali, cum quodlibet compositum ex omnibus causarum generibus constet, & in nullo genere aliquid se ipsum causare possit.

Probaturn tertio: Per generationem substantialem debet produci aliqua substantia, sed quando anima rationalis unitur corpori, est generatio substantialis; ergò tunc debet produci aliqua substantia, sed non generatur corpus, aut anima, quia præsupponuntur ad unionem; imò si corpus præxisteret tempore, & etiam anima rationalis separata, & deinde uni-

rentur sibi, vera fieret generatio; ergò debet produci alia substantia, quæ non erit aliud, quàm totum compositum. Nec dici potest, Unionem substantialem produci per generationem, quia hæc est accidens, adeoq; melius est dicere, quòd producatur aliquod totum substantiale distinctum, quàm se multum torquere, & fatigare in quærendo & explicando, quomodo generatio sit substantialis, cum nihil substantiale producatur.

Contra Conclusionem hanc sunt

Rationes & autoritates pro superiore, Autoritatibus autoritates oppono, & ad primam rationem dico: illam Tertiam entitatem esse quid compositum, quòd partim est spirituale, partim materiale. Imò etiam dici potest simplex, secundum se, & composita ex eo, quòd dicat semper ordinem ad partes. Ad secundam R. Omne absolutum prius alio posse esse sine posteriori, nisi dicat posteriori essentiali ordinem ad illud prius, prout dicit compositum ad materiam & formam. Ad tertiam dico, totum semper definiri per partes Physicas, ut est quid Synkategorematicum, & sic includit semper partes. Ad quartam R. non esse inconueniens, nec improbabile, admittere in homine duplicem intellectum & voluntatem, nam sic defenderunt Pragæ Doctissimi Patres Antonius & Bonaventura Bruodinus, quorum primus dignissimus meus exiit Professor, approbantibus Eximii Viris & Doctores Pragensis Universitatis, eamq; sententiam publicè typis evulgavit A. R. P. F. Guilielmus Antonius Braucezck, Lector Jubilatus, olim meus Professor, nunc colendissimus Superior. Hæc dicta sufficiant brevius, quia alii faciunt tantò fufius, sufficiat habere, quod quilibet defendere possit.

QUÆSTIO II.

An totum integrale, per aggregationem & per accidens, distinguatur à suis partibus simul sumptis & unitis?

Inter alia motiva, quibus adductus fui in præcedenti quæstione, ad problematicè disputandam quæstionem illam, difficultas est præsentis dubii, nam non consequenter loqui videntur, qui dicunt, totum essentialè distingui, & non distingui tamen totum integrale, atq; totum per accidens, cum tamen eadem rationes hic militent, ac ibi; nam in toto per accidens partes verè causant illud, & eodem quidem modo, sicut totum substantiale, nam unum habet se per modum materiæ, subjectum scilicet, & alterum est forma, verbi gratia, in hoc composito per accidens, *album* vel *doctum* subjectum se habet per modum materiæ, albedo verò & doctrina sunt formæ, sicut est forma substantialis. Deinde ponatur, quòd aliquod accidens antecedenter fuerit productum, & postea inducatur in aliquo subjecto, in tali casu gignitur aliquod absolutum, non tamen gignitur subjectum, nec gignitur albedo, unio autem non est aliquid absolutum; ergò debet etiam dari aliqua tertia entitas, quæ generetur: ergò, consequenter

sequenter loquendo, si in toto essentiali admittitur aliquid distinctum, debet etiam admitti in toto per accidens & integrali: quod Confirmari potest, quia duo semipalmi faciunt integrum palmum. Utrique ad resolvendam quæstionem accedam;

II. **Notandum**, me per totum integrale aliud non intelligere, quàm constitutum ex diversis partibus, quæ natæ sunt esse extra se invicem localiter, sive postea sint partes illæ homogeneæ, sive heterogeneæ, ut corpus constitutum ex capite, brachiis, manibus, pedibus &c. aqua ex pluribus partibus, & calor intensus ex pluribus gradibus. Totum verò per accidens est constitutum aliquod ex rebus diversorum predicamentorum, ut album ex subiecto, verbi gratia, pariete & albedine. Totum per aggregationem verò est, quod fit ex rebus etiam ejusdem predicamenti completis habentibus aliquam unionem, & nexum ad se invicem per ordinem ad locum. De quibus omnibus

III. **Dico**: Nec totum per accidens, nec per aggregationem, nec integrale distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis. Ita Auctores in precedenti quæstione citati, & insuper omnes Scotistæ, &

Probatur primò: De Toto per accidens, & per aggregationem, tum quia totum essentiali non distinguitur à suis partibus simul sumptis & unitis; ergò nec totum per accidens, vel per aggregationem: tum quia nulla est necessitas, multiplicandi has entitates, ergò: probatur ant. quia si esset aliqua necessitas, illa deberet argui ex aliquo effectu particulari, quem præstaret totum, & non præstarent singule partes seorsim sumptæ, sed nullus talis effectus assignari potest, ergò. Deinde quàmvis aliquis assignaretur, non esset sufficiens ad arguendam tertiam entitatem: nam etiam arte facta habent aliquem effectum conjunctum, quem non habent separata, & tamen nemo dicit, quòd in illis resultat aliqua tertia entitas, ergò: patet ant. de curribus, horologiis, quæ conjuncta aliquem habent, qui tamen non est sufficiens ad arguendam tertiam entitatem, ergò.

Probatur secundò eadem pars, maxime de toto per accidens: Quia illud totum, quod resultaret ex partibus diversorum predicamentorum, vel esset ens per se, vel ens per accidens, sed non potest dici, quòd sit ens per se: quia ejus componentia sunt aliquid unum per accidens; nec etiam dici potest ens per accidens, quia alioquin sequeretur in tali compositione processus in infinitum: quia si paries albus facit aliud ens per accidens, hoc iterum faciet aliud, & sic in infinitum.

IV. **Probatur secunda pars**: quia, Si totum integrale distingueretur realiter à suis partibus, sequeretur, quòd duæ libræ conjunctæ magis ponderarent, quàm divisæ: sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia duæ libræ conjunctæ causarent tertiam entitatem, sed illa tertia deberet iterum habere

F. Amandi Hermann Physica.

suam quantitatem, & suum pondus distinctum à pondere partium; ergò sequeretur, quòd duæ libræ plus ponderarent conjunctæ, quàm separata. Secundò, sequeretur illud, quòd antecederet dixi, quòd scilicet, si à pondere unius libræ auferatur una libra, quòd adhuc ponderaret eandem, nam si destruat unius libræ pondus, dividendo eam in duas partes (tunc enim destruitur illa tertia entitas) quòd adhuc tantum ponderabit, quantum antè, quia partes divisæ tantum ponderant.

Dices: Duas libras non plus ponderare conjunctas, quàm separatas: quia illa alia gravitas adveniens & causata includit alias duas priores. Sed Contrà: Illa tertia gravitas, & libra includens alias duas priores, debet esse aliquid, & quidem diversum ab his, sed cum certissime sit aliquid ponderosum, debet suum pondus habere, & consequenter, si addatur duabus libris, fit magis ponderosum, & tantum addet, quantum ipsum est: & si est tertia libra, addet tantum pondus; ergò per hoc, quòd includat alias duas libras, non solvitur nec impeditur, quòd minus adhuc duæ libræ tantum ponderabunt, ac si essent tres.

Probatur eadem pars secundò:

VI. Si totum distingueretur à suis partibus simul sumptis & unitis, sequeretur, quòd individuum semel corruptum connaturaliter posset iterum reproduci, sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela, quia si ex duabus partibus aquæ resultat tertia entitas aquæ, separatis illis partibus destruetur illa tertia entitas, & si iterum conjungantur, iterum reproducetur illa tertia entitas, quia cum essent eadem numero partes, esset etiam idem numero compositum, ergò. Confirmatur primò: Quia mirum videtur, quòd si una gutta aquæ ponatur in Oceanum, quòd debeat generari una nova tertia entitas, quæ per totum Oceanum diffundatur, & si illa gutta iterum auferatur, destruetur illa entitas, quæ per totum Oceanum erat diffusa. Secundò: Quia si animali addatur aliqua pars carnis per nutritionem, sequeretur, quòd illud animal non haberet amplius illud corpus post nutritionem, quod habebat ante, & consequenter non esset idem animal, quia haberet aliud corpus, quod tamen falsum est. Quæ contra hanc conclusionem opponi possunt, sufficienter solvuntur per dicta superius, nam licet totum videatur aliquid importare à suis partibus, non tamen importat aliquid distinctum ab illis unitis & collectivè sumptis, sed divisivè, seu distributivè. Solet hic etiam examinari, quòdnam sit subiectum immediatum accidentium, an totum compositum? an verò sola materia vel forma? sed quia hoc jam expediti in Logica, agendo de accidente in communi in predicamentis hic supersedeo. Et sic fuit Liber Primus Physicorum ad Dei Gloriam, & Sanctorum suorum honorem, ac propriam & proximi utilitatem.



Eec LIBER